Curioſitatis malum.

2 *Timoth.* verſ. 13. Quid mali curioſitas *Evæ* intulerit, pomum pulchrum viſu conſiderantis, notum eſt: quid mali curioſitas Dinæ filiæ Jacob ad videndas alienigenas mulieres egreſsæ: quid curioſitas *Davidis* in ſolario deambulantis, & mulierem ſe lavantem conſpicientis. Lege *S. Joan. Chryſoſt.* Homil. 1. in Pſ. 50. & *S. Bernardum* in Tractatu *De Gradibus Humilitatis*, p. 2. c. 10. De hoc vitio *S. Auguſt.* Lib. 10. *Confeſſionum*, cap. 35. ſcribit; *Præter eam concupiſcentiam carnis, quæ ineſt in delectatione omnium ſenſuum, & voluptatum, cui ſervientes depereunt, qui longe ſe faciunt a te, ineſt animæ per eoſdem ſenſus corporis quædam non ſe oblectandi in carne, ſed experiendi per carnem vana, & curioſa cupiditas, nomine cognitionis, & ſcientiæ palliata. Quæ quoniam in appetitu noſcendi eſt, oculi autem ſunt ad cognoſcendum in ſenſibus principes, Concupiſcentia oculorum Eloquio Divino appellata eſt ... Ex hoc autem evidentius diſcernitur quid voluptatis, quid curioſitatis agatur per ſenſus: quod voluptas pulchra, canora, ſuavia, ſapida, lenia ſectatur. Curioſitas autem etiam hic contraria tentandi cauſſa, non ad ſubeundam moleſtiam, ſed experiendi, nocendique libidine. Quid enim voluptatis habet videre in laniato cadavere quod exhorreat? & tamen ſicubi jaceat, concurrunt, ut contriſtentur, ut doleant. Timent etiam ne in ſomnis hoc videant; quaſi quiſquam eos vigilantes videre coegerit, aut pulchritudinis ulla fama perſuaſerit. Ita & in ceteris ſenſibus, quæ perſequi longum eſt. Ex hoc morbo cupiditatis in ſpectaculis exhibentur quæque miracula. Hinc ad perſcrutanda naturæ (quæ præter nos eſt) operta proceditur, quæ ſcire nihil prodeſt, & nihil aliud quam ſcire homines cupiunt. Hinc etiam ſi quid eodem perverſæ ſcientiæ fine per artes magicas quæritur. Hinc etiam in ipſa Religione Deus tentatur, cum ſigna, & prodigia flagitantur, non ad aliquam ſalutem, ſed ad ſolam experientiam deſiderata.* Et paullo poſt: *Canem currentem poſt leporem jam non ſpecto, cum in circo ſit: at vero in agro ſi caſu tranſeam, avertit me fortaſſis & ab aliqua magna cogitatione, atque ad ſe convertit illa venatio, non deviare cogens corpore jumenti, ſed cordis inclinatione. Et niſi jam mihi demonſtrata infirmitate mea cito admoneas, aut ex ipſa viſione per aliquam conſiderationem in te aſſurgere, aut totum contemnere atque tranſire, vanus hebeſco.*

Curioſitatis remedium.

Salutare porro curioſitatis remedium in Scripturæ Sacræ, piorumque librorum lectione invenitur, ut docet *S. Aug.* Lib. *De Vera Religione*, c. 51. *Omiſſis igitur*, inquit, *& repudiatis nugis theatricis, & poeticis, Divinarum Scripturarum conſideratione, & tractatione paſcamus Animum, atque potemus vana curioſitatis fame, ac ſiti feſſum, & æſtuantem, & inanibus phantaſmatis, tanquam pictis epulis, fruſtra refici, ſatiarique cupientem. Hoc vere liberali, & ingenuo ludo ſalubriter erudiamur. Si nos miracula ſpectaculorum, & pulchritudo delectant, illam deſideremus videre Sapientiam, quæ prætendit a fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter.* (cap. 8.) *Quid enim mirabilius vi incorporea Mundum corporeum fabricante, & adminiſtrante? aut quid pulchrius ordinante, & ornante?*

Eutrapelia.

Eutrapelia, ſive *Jucunda Urbanitas*, Virtus eſt affinis Temperantiæ, ludorum, & jocorum ſecundum rectam rationem moderatrix. (Virtus ludorum, & jocorum moderatrix.) Quamvis enim joci, & ludi ad quandam animæ ex contemplatione, & attentione vehementi defeſſæ quietem ſint utiles: unde *S. Auguſtinus* Lib. 2. *De Muſica*, cap. ult. ait: *Volo tandem tibi parcas. Nam Sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam:* In eorum tamen uſu tria præſertim cavenda ſunt. Primum, ne hujuſmodi delectatio quæratur in aliquibus operationibus, aut verbis turpibus, vel noxiis; ſive ut vitetur genus jocandi illiberale, petulans, flagitioſum, obſcœnum. Secundo, ne gravitas animæ omnino reſolvatur. *Caveamus* (inquit *S. Ambroſius*, Lib. 1. *De Officiis*, cap. 20.) *ne dum relaxare animum volumus, ſolvamus omnem harmoniam, quaſi concentum quendam bonorum operum.* Tertio, attendendum eſt, ut ludi, & joci congruant perſonæ, tempori, & loco, aliæque circumſtantiæ rectæ rationis ordini convenientes illos comitentur. Quamobrem virtute opus eſt, quæ jocorum, ludorumque immoderationem coerceat.

Adverſus hanc virtutem, & per exceſſum, & per defectum peccatur: per exceſſum quandoque lethaliter, alias venialiter. Lethaliter, cum verbis, aut factis obſcœnis, vel ſibi, aut alteri noxiis aliquis ludit, aut ita vehemens illius ad ludum affectus eſt, ut ejus delectationem dilectioni Dei præponat; ſiquidem contra præceptum Dei, vel Eccleſiæ ludis uti non refugit. Si vero non ita ad ludum afficiatur, ut propterea Deum vellet offendere, venialis dumtaxat peccati reus eſt. Per defectum ea in re peccatur ab his, qui nec ipſi jocantur unquam, & ludunt, & honeſte jocantibus, ac ludentibus moleſti ſunt, viri ſane duri, & agreſtes. Jocorum tamen, & ludorum immoderatio gravius vitium eſt, quam defectus.

Ludis, & jocis parce utendum. *Non ita generati e natura ſumus, ut ad ludum, & jocum facti eſſe videamur, ſed ad ſeveritatem potius, & ad quædam ſtudia graviora atque majora ... Ludo & joco uti licet, ſed ſicut ſomno, & rebus ceteris, tum cum gravibus, ſeriiſque rebus ſatisfecerimus.* Romani Oratoris ſententiæ ſunt a *S. Th.* laudatæ 2. 2. q. 168. art. 11. Eccleſiaſticos tamen, Religioſoſque Viros joci minus decent. Unde *S. Ambroſius*, Lib. 1. *De Officiis Miniſtrorum*, c. 23. *Licet*, inquit, *interdum honeſta joca, ac ſuavia ſint, tamen ab Eccleſiaſtica abhorrent Regula; quoniam quæ in Scripturis Sanctis non reperimus, ea quemadmodum uſurpare poſſumus? Cavenda enim etiam in fabulis, ne inflectant gravitatem ſeverioris propoſiti:* (Joci ab Eccleſiaſtica Regula abhorrent.) Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis, *ait Dominus: & nos ridendi materiam requirimus, ut hic ridentes, illic fleamus? Non ſolum profuſos, ſed omnes etiam jocos declinandos arbitror, niſi forte plenum ſuavitatis, & gratiæ ſermonem eſſe, non indecorum eſt.* (Lucæ 6.)

Hæc de Virtutibus ſufficiant: in quibus exerceri longe utilius, quam de illis diſſerere: ſiquidem omnis noſtra de Virtutibus tractatio ad earum amorem, ſtudium, & operationes referenda eſt. Virtutes itaque diligamus, & colamus, Gratiæ cœleſtis imploremus auxilium a Domino Deo virtutum, ut in iis proficientes, & excitati, eamus de virtute in virtutem, donec videamus Deum in Sion.

FINIS LIBRI TERTII.

THEO-

THEOLOGIÆ DOGMATICÆ, ET MORALIS SECUNDUM ORDINEM CATECHISMI Concilii Tridentini.

LIBER QUARTUS. DE DECALOGO.

CUm Decalogus totius Legis Summa ſit, & epitome, Sacerdotes in ejus contemplatione diu, noctuque verſari oportet, non ut vitam ſuam dumtaxat ad ſacratiſſimam hanc Regulam componant; ſed etiam ut Populum Chriſtianum in Lege Domini erudiant. Nam *Labia* (Malach. 2.) *Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quod ad Novæ Legis Sacerdotes, & Paſtores maxime pertinet, qui Deo propriores, *a claritate in claritatem transformari* debent, *tanquam a Domini Spiritu*; (2. Cor. 3.) & cum illos Lucis nomine Chriſtus Dominus noſter ornaverit, propriæ ſunt illorum partes, ut ſint lumen eorum, qui in tenebris verſantur, eruditores inſipientium, Magiſtri infantium. (Matth. 5.) Et *ſi quis præoccupatus fuerit in aliquo delicto, ipſi, qui ſpirituales ſunt, hujuſmodi inſtruant.* (Galat. 6.) In Confeſſionibus etiam excipiendis Judicis perſonam ſuſtinent, ac pro genere, & modo peccatorum ferre ſententiam illis incumbit. Quamobrem in divinorum præceptorum interpretatione ſint exercitatiſſimi, neceſſe eſt, ut ad hanc divinam Regulam de quacunque & actione, & officii prætermiſſione judicium facere poſſint; inquit Conc. Trident. Catechiſmus) (Ad Tit. 2.) Et *ſanam doctrinam* tradant, *verbumque irreprehenſibile*, ac animorum morbis, ſcilicet peccatis medeantur: curentque populum Chriſtianum ab omni iniquitate mundum, Deo acceptum, *ſectatorem bonorum operum* exhibere.

Poſtquam igitur de Symbolo, & Sacramentis egimus, de Decalogo agendum eſt: ſiquidem juſtitia Chriſtiana, quæ per Sacramenta infunditur, non ſola fide conſtat, ſed obſervantia Mandatorum Dei: Nec *auditores* tantum *Legis juſti ſunt apud Deum, ſed factores Legis juſtificabuntur.* (Rom. 2.) Unde & *Sanctus Jacobus* Apoſtolus ait: (Jacobi 1.) *Eſtote factores verbi, & non auditores tantum, fallentes voſmetipſos. Quia ſi quis auditor eſt verbi, & non factor, hic comparabitur viro conſideranti vultum nativitatis ſuæ in ſpeculo; conſideravit enim ſe, & abiit, & ſtatim oblitus eſt, qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliviosus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit.* Sed priuſquam ad Explicationem Decalogi veniamus, quædam de natura, & diſtributione Legis neceſſario præmittenda ſunt. Tum de ipſo Decalogo agemus, ac ſingula præcepta exponemus; Regulaſque Morum trademus ad unumquodque præceptum in ſpecie pertinentes.

CAPUT PRIMUM.

De Lege generatim ſpectata.

ARTICULUS PRIMUS.

De Natura Legis.

Definitio Legis.

L*Ex eſt quædam rationis ordinatio, ad bonum commune, ab eo, qui curam Communitatis habet, promulgata.*

Ordinatio rationis, dicitur: Ad rationem enim, quæ princeps eſt in homine facultas, pertinent legislatio, imperium, præceptum. Deinde præcipua humanarum actionum regula ratio eſt: unde Lex lucis nomine inſignitur, quod menti proprie convenit. Pſal. 118. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis.* Prov. 6. *Mandatum lucerna eſt, & lex lux.* Quamquam ad poſitivam legem conſtituendam voluntas concurrat. Quo ſenſu a Juſtino ſcite dictum eſt, ut ex eo refert *S. Aug.* Lib. 4. *De Civitate Dei*, c. 4. *Arbitria Principum pro legibus erant.*

Dicitur *ad bonum commune*, quo diſtinguitur a Præcepto. Id enim uni, vel duobus imponitur, lex Communitati perfectæ, ſeu ſocietati hominum fœdere aliquo inter ſe conjunctorum, quibus qui præeſt, juriſdictionem politicam habet, quales ſunt Eccleſiæ, Regna, Provinciæ, Civitates, Univerſitates, Ordines Religioſi. Cum igitur Rex quidpiam uni, vel alteri præcipit, non cenſetur legem condere: neque Deus legem tulit, ſed præceptum dedit, quando juſſit Abraham, ut filium ſuum in holocauſtum offerret; *Geneſ.* 22. Contra vero cum Deus præcepit Adamo, ne de ligno ſcientiæ boni, & mali comederet, (*Gen.* 2.) veram proprieque dictam legem tulit, quia Mandatum illud non unum Adamum, ſed poſteros ejus ſpectabat univerſos. Hinc ſequitur, patrem-familias leges ferre non poſſe; quamvis præcepta uxori ſuæ, filiis, ac ſervis dare poſſit; quia familia non eſt Communitas perfecta: nec ipſe dominium juriſdictionis in ſuos habet. Sunt alia præterea Legis a Præcepto diſcrimina: unum, quod præceptum ultra præcipientis vitam non obliget; Lex vero & poſt Legislatoris mortem ſubſiſtat. Aliud, quod præceptum ad præſentes dumtaxat; lex ad futuros etiam dirigatur, quamdamque perpetuitatem obtineat.

Neque vero ſatis eſt, ut Lex, vel toti Communitati, vel alicui ejus parti, ſecundum rationem rerum, & perſonarum imponatur: ſed etiam neceſſe eſt, ut ad bonum commune, communemque felicitatem dirigatur. Sicut enim Reges a Tyrannis differunt, quod illi commune, hi privatum dumtaxat commodum conſectentur: ita Leges Regum, Principumque legitimorum, a Tyrannorum legibus diſtinguuntur, quod illæ ob commune bonum; iſtæ ob privata Legislatorum commoda latæ ſint. Hinc S. *Iſidorus*, Lib. 5. *Originum*, c. 28. *Erit autem*, inquit, *Lex honeſta, juſta, poſſibilis ſecundum naturam, ſecundum patriæ conſuetudinem loco, temporique conveniens, neceſſaria, utilis, manifeſta, ne quid per obſcuritatem in captione contineat, nullo privato commodo, ſed pro communi utilitate civium conſcripta.* Denique id tantum Legis nomen mereri aſſerit, *Quod ratione conſtat, quod Religioni congruit, quod diſciplinæ convenit, quod ſaluti proficit.*

Hinc Concilium Toletanum 8. can. 10. ſtatuit, ut *Reges nulla vi, aut factione ſcripturarum, vel deffinitionum qualiumcumque contractus a ſubditis exigant, neque ſint proſpectantes proprii jura commodi, ſed conſulentes Patriæ atque Genti.*

Ad eum autem pertinet Legem condere, qui Communitati perfectæ præeſt; vel ad Communitatem ipſam. Juris enim dicendi poteſtas, viſque cogendi ad legum conditionem neceſſaria eſt. Sic Eccleſia, Conciliaque Generalia ipſam repræſentantia, Romanus Pontifex, Concilia Nationalia, Provincialia, Epiſcopi, Synodique Diœceſanæ, Ordinum Regularium Generales, Moderatores, & Comitia, Reges, Principeſque ſupremi, Reſpublicæ, ac Civitates liberæ, leges condere poſſunt.

Additur in definitione Legis, *promulgata*. Cum enim lex humanarum actionum regula ſit, ipſam cognoſci neceſſe eſt, ut ſecundum illam dirigantur: Promulgatione porro in publicam notitiam venit. Hinc vulgatum illud: *Leges inſtituuntur, cum promulgantur.*

ARTICULUS II.

De Diviſione Legis.

LEx alia eſt æterna, alia temporalis. Iſta dividitur in divinam, & humanam. Divina in naturalem, & ſcriptam. Lex Divina ſcripto tradita, in Veterem, & Novam. Humana, in Civilem, & Eccleſiaſticam, ſive Canonicam.

§. I. De Lege Æterna.

Lex æterna, eſt ratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conſervari jubens, perturbari vetans. (Æternæ Legis notio.) Ita definit S. *Aug.* Lib. 22. *Contra Fauſtum*, c. 27. Sive, *Æterna lex eſt ea, qua juſtum eſt, ut omnia ſint ordinatiſſima*; ut definit idem S. Doctor, Lib. 1. *De Libero Arbitrio*, c. 6. Hæc incommutabilis eſt, ut ibidem docet: *Quid illa Lex, quæ ſumma ratio nominatur, cui ſemper obtemperandum eſt, & per quam mali miſeram, boni beatam vitam merentur; per quam denique illa, quam temporalem vocandam diximus, recte fertur, recteque mutatur, poteſt ne cuipiam non incommutabilis, æternaque videri? an poteſt aliquando injuſtum eſſe, ut mali miſeri, boni autem beati ſint? aut ut modeſtus, & gravis populus ipſe ſibi Magiſtratus creet, diſſolutus vero, & nequam iſta licentia careat?* (Lex æterna immutabilis.) In temporalibus legibus nihil eſt juſtum atque legitimum, quod non ex hac æterna ſibi homines derivarint (inquit ibidem *S. Aug.*). (Legum temporalium juſtitia ab æterna lege derivatur.) Sempiternam hanc legem *conſulunt omnes piæ mentes, ut quod in ea invenerint, vel faciant, vel jubeant, vel vetent, ſecundum quod illa in-*

commutabile veritate præceperit. Sic Moyſes legem Dei æternam conſulebat, ut Populum Iſraeliticum regeret, antequam Deus Legem ſcriptam dediſſet. Hinc Jetro ſocero ſuo reſpondet, Exodi 18. *Venit ad me populus quærens ſententiam Dei. Cumque acciderit eis aliqua diſceptatio, veniunt ad me, ut judicem inter eos, & oſtendam præcepta Dei, & leges ejus.* Niſi enim ſuæ menti præſidentem Dominum conſuleret, legemque ejus æternam ſapienter attenderet, quid juſtiſſimum judicare inter diſceptantes poſſet, non inveniret, ut obſervat *S. Aug.* q. 67. in Exodum.

Æternæ legi omnia ſubduntur.

Nullo modo autem *aliquid legibus ſummi illius Creatoris, Ordinatoriſque ſubtrahitur, a quo pax univerſitatis adminiſtratur*; (inquit idem Pater Lib. 19. *De Civ. Dei*, c. 12.) Omnis irrationalis creatura ſic ſubdita eſt legi æternæ, ut ejus particeps eſſe non poſſit, & proinde non peccat, quia nihil facit contra æternam legem. Rurſus Angelica, ſublimis, & beata natura non peccat, quia ita particeps eſt Legis æternæ ut ſolus eam delectet Deus, cujus voluntati ſine ullo experimento tentationis obtemperat. *Homo autem, cujus propter peccatum tentatio eſt vita hominis ſuper terram, ſubdat ſibi, quod habet commune cum beſtiis; ſubdat Deo, quod habet commune cum Angelis: donec juſtitia, & immortalitate perfecta, atque percepta, ab iſtis exaltetur, illis æquetur.* Verba ſunt *S. Aug.* Lib. 20. *Contra Fauſtum*, c. 28. Porro quando peccat, etſi contra legem Dei faciat, quia naturæ ordinem ſervare non vult: non ideo tamen juſti Dei leges omnia bene ordinantis effugit. *Quia enim nemo ſuperat leges omnipotentis Creatoris, non ſinitur anima non reddere debitum. Aut enim reddit bene utendo quod accepit, aut reddit amittendo quo bene uti noluit. Itaque ſi non reddet faciendo juſtitiam, reddet patiendo miſeriam: quia in utroque verbum illud debiti ſonat. Hoc enim etiam modo dici potuit, quod dictum eſt. Si non reddit faciendo quod debet, reddet patiendo quod debet.* Sic loquitur *S. Aug.* Lib. 3. *De Libero Arbitrio*, c. 15.

§. II. *De Lege naturæ.*

Quid lex naturæ.

Lex naturalis eſt participatio Legis æternæ in rationali creatura, ut definit *S. Th.* ſeu Divini luminis impreſſio, quo dirigimur ad ea agenda, quæ rationi conſentanea ſunt, ad eaque vitanda, & prætermittenda, quæ ſunt rationi diſſentanea. Quo de lumine Pſ. 4. dicitur: *Signatum eſt ſuper nos lumen vultus tui Domine.*

Hanc legem Deus Creator ſingulorum hominum pectoribus infudit, de qua ſcribit Apoſtolus ad Romanos cap. 2. *Cum enim gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, faciunt, ejuſmodi legem* (ſcriptam ſcilicet) *non habentes, ipſi ſibi ſunt lex: qui oſtendunt opus legis ſcriptum in cordibus ſuis, teſtimonium reddente illis conſcientia ipſorum, & inter ſe invicem cogitationibus accuſantibus, aut etiam defendentibus.* Ea lex, (inquit *Sanctus Ambroſius* Epiſt. 63. poſtremæ editionis Pariſienſis, ad *Irenæum* data) *non ſcribitur, ſed innaſcitur: nec aliqua percipitur lectione, ſed profluo quodam naturæ fonte in ſingulis exprimitur, & humanis ingeniis hauritur. Quam debuimus, vel futuri judicii metu ſervare, cujus teſtis conſcientia noſtra tacitis cogitationibus apud Deum ipſa ſe prodit, quibus vel redarguitur improbitas, vel defenditur innocentia. Itaque cum ſemper pateant Domino, tum maxime in die judicii manifeſtabitur: quando occulta cordis in examen venient, quæ putabantur latere. Quorum tamen proditio, occultorum ſcilicet, nequaquam noceret, ſi lex naturalis ineſſet pectoribus humanis; eſt enim ſancta, ſine verſutia, ſine fraude, conſors juſtitiæ, expers iniquitatis.*

Lex naturæ per peccatum obſcurata, & quodammodo deleta.

Naturæ Legem Deus menti hominis in prima inſtitutione ex integro impreſſit: ſiquidem creavit hominem rectum, & omni vitio carentem: ſed per peccatum in cordibus hominum obſcurata, & quodammodo deleta eſt. Hinc ante illuminationem fidei, in tenebris, & in umbra mortis hominem agere ſæpe Scriptura teſtatur; *Quoniam prius quam a dominatione diaboli per Dei gratiam liberetur, in illo profundo jacet, in quod de ſua libertate demerſit. Amat ergo languores ſuos, & pro ſanitate habet, quod ægrotare ſe neſcit, donec prima hæc medela conferatur ægroto, ut incipiat noſſe, quod langueat, & poſſit opem Medici deſiderare, qua ſurgat:* (inquit *S. Proſper*, in Reſp. ad Objectionem 6. Gallorum.)

Non tamen omni ex parte.

Veruntamen non omnino Lex Dei de cordibus hominum deleta eſt, etiam in Infidelibus; in Chriſtianis vero ſanata, & reparata per gratiam natura, Lex ipſa intus digito Dei, ideſt, Spiritu Sancto ſcripta eſt. Cum igitur Gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis ſunt, facere dixit Apoſtolus; ita intelligendus eſt, ut ea faciant ſecundum naturam gratia reparatam, non abſque Spiritu Dei, non abſque fide, non abſque gratia: vel quod imagine Dei non prorſus deleta in Infidelibus, quædam Legis naturæ præcepta adimpleant, non tamen ſicut oportet ad juſtificationem, & ſalutem quæ eſt per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum. Ita docet *S. Aug.* Lib. *de Spiritu, & Littera* c. 28.

Lex naturæ una apud omnes.

Lex naturæ una, & eadem eſt apud omnes. Hoc enim Legis naturalis principium, ne multa commemorem. *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris, nullo modo poteſt ulla gentili diverſitate variari* (inquit *S. Aug.* Lib. 3. *De Doctrina Chriſtiana* c. 14.) *Quæ ſententia cum refertur ad dilectionem De omnia flagitia moriuntur: cum ad Proximi, omnia facina. Nemo enim vult corrumpi habitaculum ſuum: non ergo debet corrumpere habitaculum Dei, ſeipſum ſcilicet. Et nemo vult ſibi a quoquam noceri: nec ipſe igitur cuiquam nocuerit.*

Hinc *S. Iſidorus* Lib. *Originum*, c. 6. *Jus naturale*, inquit, *eſt commune omnium Nationum, eo quod ubique inſtinctu naturæ, non aliqua conſtitutione habeatur.*

§. III. *De Lege Dei ſcripto tradita.*

Cur Deus Legem ſcriptam dederit.

Cum Lex naturæ per Adam ipſum in hominum mentibus obtenebrata, ac prope obliterata fuiſſet, Deus Legem in tabulis ſcripſit, Populoque ſuo per Moyſen tradidit: primo ut homines diſciplina quadam cœleſti coerceret, pœnamque metu a flagitiis deterreret. Quod ſignificans Ap. 1. ad Tim. 1. ait: *Scimus, quia bona eſt Lex, ſi quis ea legitime utatur, ſciens hoc, quia Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis, & ſubditis, impiis, & peccatoribus, ſceleratis, & contaminatis, paricidis, & matricidis, homicidis, fornicariis, maſculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, & perjuris, & ſi quid aliud ſanæ doctrinæ adverſatur.*

Secundo, Lex a Deo lata eſt, ſcriptiſque commendata, ut oſtenderet peccatum, ut accuſaret, terreretque conſcientia, quem Legis uſum frequenter indicat Apoſtolus, ſcilicet ad Rom. 3. cum ait: *Per Legem cognitio peccati.* Et c. 7. *Peccatum non cognovi niſi per Legem: nam concupiſcentiam neſciebam, niſi Lex diceret, Non concupiſces.* Non quod ante Legem concupiſcentia non eſſet peccatum, ſed quod latet. *Sine lege enim peccatum mortuum erat; ſed cum venit Mandatum, peccatum revixit.* Peccatum ſine lege mortuum dicitur, ideſt, occultum, & ignotum: Per Legem revixiſſe, ideſt, cognitum fuiſſe, conſcientiamque homini ſtimulare cœpiſſe, ut ſuæ conſcius infirmitatis, Medici cœleſti opem imploraret. Lex enim homini demonſtravit ſuam infirmitatem; ut quæreret demonſtrata infirmitas Salvatorem. Lex ſcripta data eſt a Deo, ut homo ad cor rediret, Legemque menti ſuæ inſcriptam conſideraret. Hinc *S. Aug.* Enarr. in Pſ. 57. ait: *Quis de Juſtitia interrogatus, quando non haberet auſſam, non facile reſpondeat, quid ſit juſtum? Quandoquidem manu Formatoris noſtri in ipſis cordibus noſtris veritas ſcripſit: Quod tibi non vis fieri, nec facias alteri. Hoc, & antequam Lex daretur, nemo ignorare permiſſus eſt, ut eſſet unde judicarentur, & quibus Lex non eſſet data. Sed ne ſibi homines aliquid defuiſſe quererentur, ſcriptum eſt & in Tabulis quod in cordibus non legebant. Non enim ſcriptum non habebant, ſed legere nolebant. Oppoſitum eſt oculis eorum, quod in conſcientia videre cogerentur: & quaſi forinſecus admota voce Dei, ad interiora ſua homo compulſus eſt, dicente Scriptura* In cogitationibus impii interrogatio erit. *Ubi interrogatio, ibi lex. Sed quia homines appetentes ea quæ foris ſunt, etiam a ſeipſis exules facti ſunt, data eſt etiam conſcripta Lex; non quia in cordibus ſcripta non erat: ſed quia tu fugitivus eras cordis tui, ab illo, qui ubique eſt, comprehenderis, & ad teipſum intro revocaris. Propterea ſcripta Lex quid clamat eis, qui deſeruerunt Legem ſcriptam in cordibus ſuis? Redite prævaricatores ad cor.* Sap. 1. Pſal. 44.

Tertio, lex data eſt, ut juſtificatis per fidem Regula ſit bene vivendi; & ea ratione dicitur præſtare Sapientiam parvis, oculos illuminare, dirigere in via Dei. Quamvis enim homines juſti ab onere legis liberi ſint, quia jam per legem non terrentur, conturbantur, damnantur, tamen ab obedientia legis liberi non ſunt; immo gratia in ipſis fit, & operatur, ut legem ſponte impleant, non jam conſtituti ſub legis imperio tanquam ſervi, ſed amore juſtitiæ mandata legis obſervantes, ut liberi. Pſalm. 18. Pſalm. 118.

Lex ſancta.

Itaque Lex ſancta eſt, & mandatum juſtum, & ſanctum, & bonum; (inquit Apoſtolus ad Romanos 7.) Sed tamen imperfecta eſt, hominem perducere per ſe non valens ad felicitatem æternam: id ſiquidem fieri non poteſt niſi per gratiam Spiritus Sancti, per quam *diffunditur Caritas in cordibus noſtris*, qua lex adimpletur. *Gratia* enim *Dei vita æterna.* Hanc porro gratiam lex vetus conferre non potuit, quia enim Chriſto ſervabatur, quia *Lex per Moyſem data eſt: Gratia & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt.* Hinc Apoſtolus ad Hæb. 7. ait: *Nihil ad perfectum adduxit Lex.* Atque hoc etiam ſenſu ait Deus Ezechielis 20. *Dedi eis præcepta non bona & judicia, in quibus non vivent*: quia mirum gratiam non conferebant, qua homines a peccato mundarentur, cum alioquin 2. *Eſdræ IX.* dicatur; *Dediſti eis judicia recta, & Legem veritatis, cæremonias, & præcepta bona.* Et ipſo Ezechielis cap. proxime indicato de præceptis veteris legis ſcriptum ſit, *quæ cum fecerit homo, vivet in eis.* Rom. 6. Joan. 1.

Quo ſenſu lex dicatur occidere.

Dicitur autem *Virtus peccati, & miniſtratio mortis, occidere, iram operari, omnes ſub peccato concludere*, ob aliam rationem, quod ſcilicet, occaſione accepta, ex hominum vitio divina lege abutentium, peccatum, mors, ira Dei, damnatio legem conſequantur; non quod Lex peccatum, mortem, iram, damnationem per ſeipſam operetur. Quod ſignificat Apoſt. ad Rom. 7. his verbis; *Occaſione autem accepta, peccatum per Mandatum operatum eſt in me omnem concupiſcentiam*: Et paullo poſt: *Nam peccatum occaſione accepta per Mandatum, ſeduxit me, & per illud occidit.* Igitur *Lex data eſt, ut gratia quæreretur: Gratia data eſt, ut Lex data impleretur. Neque enim ſuo vitio non implebatur Lex, ſed vitio prudentiæ carnis: quod vitium per Legem demonſtrandum, per gratiam ſanandum fuit* (inquit *S. Aug.* Lib. *De Spiritu, & Littera*, cap. 19.)

Sane Lex, quæ concupiſcentiam omnem prohibet, dicendo, *Non concupiſces*, peccatum omne prohibere cenſenda eſt, cum nullum peccatum niſi concupiſcendo contra Legem Dei committatur. Hanc igitur ſi quis impleverit, nullum habebit omnino peccatum. *Sed tamen ubi Sanctus non adjuvat Spiritus, inſpirans pro concupiſcentia mala concupiſcentiam bonam, hoc eſt, Caritatem diffundens in cordibus noſtris, profecto illa Lex quamvis bona, auget prohibendo deſiderium malum; ſicut aquæ impetus ſi in eam partem non ceſſet influere, vehementior fit obice oppoſito, cujus molem cum evicerit, majore cumulo præcipitatus violentius per prona provolvitur. Neſcio quo enim modo, hoc ipſum, quod concupiſcitur, fit jucundius dum vetatur. Et hoc eſt, quod facit peccatum per Mandatum, & per illud occidit, cum accedit etiam prævaricatio, quæ nulla eſt, ubi Lex non eſt.* Verba ſunt *S. Aug.* Lib. *De Spiritu, & Littera*, cap. 4.

Lex a Deo data.

Lex Vetus a Deo data eſt, quod contra Marcionitas, & Manichæos, illam malo principio tribuentes, Fides Catholica docet. Lex enim Domini paſſim dicitur: & Chriſtus de præceptis Legis loquens Matth. 5. Judæos ita increpat; *Irritum feciſtis mandatum Dei propter traditiones veſtras.* Præterea Lex Vetus homines ad Chriſti adventum, fidemque diſponebat, & ad Chriſtum adducebat: a Deo igitur Optimo Maximo data eſt, a quo ſalus hominum facta per gratiam Chriſti. Homines (inquam) Lex ad Chriſtum adducebat duplici ratione; primo, quia teſtimonium Chriſto perhibebat, ut ipſe ait *Lucæ* ult. *Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in Lege, & Pſalmis, & Prophetis de me.* Et *Joan.* 5. cap. *Si crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi: de me enim ille ſcripſit.* Secundo, quia homines ab idololatria revocans, eos in unius Dei cultu continebat, ac veluti concludebat, a quo ſalvandum erat genus humanum per Chriſtum.

Quo ſenſu lex dicatur Pædagogus.

Unde Apoſtolus ad *Gal.* 3. ſcribit: *Priuſquam veniret Fides, ſub Lege cuſtodiebamur concluſi in eam Fidem, quæ revelanda erat. Itaque Lex Pædagogus noſter fuit in Chriſto, ut ex fide juſtificemur. At ubi venit fides, jam non ſumus ſub Pædagogo.* Cur Lex Pædagogus dicatur; exponit *S. Hier.* in eum locum. *Pædagogus* (inquit) *parvulis aſſignatur, ut laſciviens refrenetur ætas, & prona in vitia corda teneantur, dum teneris ſtudiis eruditur infantia, & ad majores diſciplinas metu pœnæ coercita præparatur; itaque & laſcivienti populo Lex Moyſi ad inſtar Pædagogi ſeverioris appoſita eſt, ut cuſtodiret eos, & futuræ Fidei præpararet.*

Qua ratione vocetur Lex Moyſis.

Dicitur nihilominus Lex Moyſis, quia Moyſes Legem a Deo acceptam populo dedit, ac promulgavit, ut Dei Miniſter, de quo *S. Stephanus* ad Judæos ſermonem faciens *Act.* 7. ait: *Qui accepit verba vitæ dare vobis.* Unde *Clemens Alexandrinus*, Lib. 1. *Pædagogi*, c. 7. appoſite obſervat, S. Joannem Evangeliſtam non dixiſſe, *Lex per Moyſen facta eſt*, ſicut dixit, *Gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum facta eſt*; ſed, *Lex per Moyſen data eſt*: quia Moyſes non eſt

Per Angelos data.

Legis illius conditor, ſed illam a Deo accepit, ejuſque auctoritate promulgavit. Data autem fuit Moyſi a Deo, interveniente miniſterio Angelorum. Unde *S. Stephanus*, Act. 7. ſic Judæos alloquitur; *Qui accepiſtis Legem in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis.* Et Apoſtol. ad Gal. 3. *Quid igitur Lex? Propter tranſgreſſiones poſita eſt, donec veniret ſemen, cui promiſerat ordinata per Angelos, in manu Mediatoris.* Quo nomine Moyſes ſignificatur, qui id ſibi nomen tribuit, Deut. 5. *Ego*, inquit, *ſequeſter, & medius fui inter Dominum, & vos, ut annuntiarem vobis verba ejus.* Et ad Hebr. 2. *Si enim qui per Angelos dictus eſt ſermo, factus eſt firmus, & omnis prævaricatio, & inobedientia accepit juſtam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutem?*

Judæis congruo tempore.

Lex congruo tempore data Judæis eſt, ex quibus ſecundum carnem ortum habiturus erat Chriſtus. Uſque ad Moyſis tempora homo in ignorantiæ tenebris relictus eſt, ſolique Judæi demum illuſtrati ſunt, ut diſceret homo, nonniſi Dei miſericordia agnoſci Legem ejus. Quam miſericordiam omnipotentis, optimique Dei erga Judæos prædicat David Pſ. 147. *Qui annuntiat*, inquit, *verbum ſuum Jacob, juſtitias, & judicia ſua Iſrael. Non fecit taliter omni nationi, & judicia ſua non manifeſtavit eis.* Si ſtatim poſt Adami lapſum Legem eis dediſſet, vel omnibus gentibus id beneficii contuliſſet Deus, facile ſuperbus homo ſibi divinæ Legis notitiam arrogaſſet. Ea enim quibus vel nunquam caruimus, vel quæ cum ceteris omnibus communia habemus; proclive eſt ut non ex gratia accepta cenſeamus, ſed viribus noſtris, aut meritis tribuamus. Unde *Moyſes*, ut gratiæ Dei acceptam referri debere Legis notitiam oſtendat, *Deuteronomii* 32. ait: *Memento dierum antiquorum, cogita generationes ſingulas; interroga Patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi, quando dividebat Altiſſimus Gentes, quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum juxta numerum filiorum Iſrael. Pars autem Domini populus ejus: Jacob funiculus hæreditatis ejus. Invenit eum in terra deſerta, in loco horroris, & vaſtæ ſolitudinis: Circumduxit eum; & docuit.* Tanto vero tempore ante Chriſti adventum Lex data fuit, ut homo cognoſcens propriis viribus ſe Legem ſervare non poſſe, ad Medicum, ideſt, ad Chriſtum ſuſpiraret.

Locus, & modus datæ Legis.

Data eſt die ab immolatione Agni Paſchalis quinquageſimo, ut nobis ſignificaretur, quod merito Agni immaculati Chriſti pro ſalute noſtra immolati, & occiſi, lex de diligendo Deo, & proximo per Spiritum Sanctum ſcriberetur in cordibus Fidelium quinquageſimo die, non quidem a morte, ſed a Reſurrectione Chriſti, in qua ſecundus Adam totus novus, & præparatus ad nos regenerandos, & penitus innovandos apparuit. Hinc *S. Aug.* Libro *De Spiritu, & Littera*, c. 16. *Dies* (inquit) *quinquaginta computantur a celebratione Paſchæ, quæ occiſione figuratæ ovis per Moyſen fieri præcepta eſt, in ſignificationem utique futuræ Dominicæ Paſſionis, uſque ad diem, qua Moyſes Legem accepit in tabulis digito Dei conſcriptis: ſimiliter ab occiſione, & Reſurrectione illius, qui ſicut ovis ad immolandum ductus eſt, quinquaginta diebus completis, congregatos in unum Fideles digitus Dei, hoc eſt, Spiritus Sanctus implevit.* Iſaiæ 28.

Data Lex eſt in Monte Sinai, poſtquam populus Iſrael eductus ex Ægypto in deſertum venit, ut beneficii recentis memoria allectus, & loci aſperitate, in quo verſabatur, deterritus, ad accipiendam Legem aptior redderetur. Homines enim iis maxime devinciuntur, quorum beneficentiam experti ſunt, atque ad Dei præſidium confugiunt, cum ſe omni ſpe humana deſtitutos eſſe agnoſcunt. Ex quo licet intelligere, Fideles ad complectendam cœleſtem doctrinam eo propenſiores eſſe, quo ſe magis a mundi illecebris, & carnis voluptatibus abſtraxerint, ut indicat illud *Iſaiæ* oraculum: *Quem docebit ſcientiam, & quem intelligere faciet auditum? Ablactatos a lacte, avulſos ab uberibus.* Exodi 29.

Triduo antequam Lex daretur, Dei juſſu dictum eſt omnibus, ut veſtimenta lavarent, uxores non attingerent, quo ſanctiores, & paratiores eſſent ad accipiendam Legem, ut ad diem tertiam adeſſent. Deinde cum ad Montem eſſent adducti, in quo Dominus illis per Moyſen Leges laturus erat, uni Moyſi dictum eſt, ut in montem aſcenderet: quo Deus maxima cum majeſtate venit, & locum tonitruis, fulgoribus, igne, denſiſque nebulis circumfudit, ac loqui cum Moyſe cœpit, eique Leges dedit. Quod divina Sapientia nullam aliam ob cauſſam factum voluit, niſi ut nos moneret, caſto humilique animo Legem Domini accipiendam eſſe: quod ſi præcepta negligeremus, paratas nobis a divina Juſtitia pœnas imminere.

Varia Legis veteris præcepta.

Triplex Præceptorum genus Lex complectitur, *Moralia*, *Cæremonialia*, & *Judicialia*, quod ſignificant hæc verba Deut. 5. *Loquar tibi mandata mea, & Cæremonias, atque judicia.*

Præcepta cæremonialia dicuntur, quæ certos Ritus, operaque externa præſcribunt, quibus colendus eſt Deus.

Præcepta judicialia, quæ certum modum præſcribunt juſtitiæ inter homines ſervandæ.

Præcepta moralia, quæ mores, ſeu actiones humanas componunt. Quæ quidem ad Legem naturæ pertinent tanquam et propria, & ex naturali ratione vim habentia: ſed tamen ad Legem etiam veterem ſpectant, quia fuerunt in ea renovata, ſimulque cum aliis tradita.

Lex vetus appellatur Littera occidens, præceptorum etiam Moralium ratione.

Ratione præceptorum omnium, etiam Moralium, quæ Decalogo continentur, Lex appellatur *Littera occidens*, ut docet *S. Aug.* Lib. *de Spiritu, & Littera*, c. 14. Id probat ex Apoſtoli verbis 2. ad Cor. 3. *Epiſtola eſtis Chriſti*, inquit, *miniſtrata a nobis, & ſcripta non atramento, ſed Spiritu Dei vivi, non in tabulis lapideis, ſed in tabulis cordis carnalibus. Fiduciam autem talem habemus per Chriſtum ad Deum: non quod ſufficientes ſimus cogitare aliquid a nobis quaſi ex nobis: ſed ſufficientia noſtra ex Deo eſt, qui & idoneos nos fecit miniſtros Novi Teſtamenti; non littera, ſed ſpiritu: littera enim occidit, ſpiritus autem vivificat. Quod ſi miniſtratio mortis litteris deformata in lapidibus fuit in gloria, ita ut non poſſent intendere filii Iſrael in faciem Moyſi propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur: quomodo non magis miniſtratio Spiritus erit in gloria? nam ſi miniſtratio damnationis gloria eſt, multo magis abundat miniſterium juſtitiæ in gloria.* Dicitur autem Lex, etiam ratione præceptorum Decalogi, *Littera occidens*, quia *Littera prohibens peccatum non vivificat hominem, ſed potius occidit, augendo concupiſcentiam, & iniquitatem prævaricatione cumulando, niſi liberet gratia per legem fidei, quæ eſt in Chriſto Jeſu, cum diffunditur caritas in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis.* Vetuſtas igitur litteræ, ſi deſit novitas Spiritus, reos facit potius cognitione peccati, quam liberet a peccato: *Non quia ipſa lex malum eſt, ſed quia mandatum bonum habet in littera demonſtrante, non in adjuvante Spiritu: quod mandatum ſi fit timore pœnæ, non amore juſtitiæ, ſerviliter fit, non liberaliter; & ideo nec fit. Nec enim fructus eſt bonus, qui de caritatis radice non ſurgit. Porro autem ſi adſit fides, quæ per dilectionem operatur, incipit condelectari legi Dei ſecundum interiorem hominem, quæ delectatio non litteræ, ſed Spiritus donum*, (inquit *S. Auguſtinus* ibidem.)

Cæremonialia, & judicialia ve-

Judicialia, & cæremonialia præcepta abolita ſunt, & antiquata. Veteris Legis Sacramenta, Sacrificia, ceteræque cære-

teris Legis præcepta abrogata ſunt.

cæremoniæ Chriſtum præfigurabant: quamobrem Chriſti Paſſione, & Reſurrectione antiquatæ ſunt, & abrogatæ. Translato enim Sacerdotio, Legis etiam tranſlationem fieri neceſſe erat. Unde Chriſto moriente, Velum Templi ſciſſum eſt; quia umbræ in veritatem, Prophetiæ in manifeſtationem, & Lex in Evangelium verſæ ſunt. Hinc Chriſtus ipſe ait: Lex, & Prophetæ, uſque ad Joannem. Et, non veni, inquit, Legem ſolvere, ſed adimplere. Adeo ut ſi quis circumcidi voluerit. Chriſtus nihil ipſi proſit, ut ait Apoſtolus, qui & reprobationem præcedentis Mandati factam, propter ejus inutilitatem, & infirmitatem, docet (ad Hebr. 7.) Non quod olim inutilia fuerint Legis veteris Sacramenta, Sacrificia, cetæræque cæremoniæ, ſed quod inutiles factæ ſint Evangelio prædicato: ſicut quæ utilia ſunt, & ſalutaria pueris, inutilia ſunt viris. Præcepta vero Moralia Chriſtianos etiam ſpectant. In illis decem præceptis, excepta Sabbati obſervatione, dicatur mihi, quid non ſit ſervandum a Chriſtiano; ſive de non faciendis, colendiſque idolis, aliiſque aliis Diis præter unum verum Deum, ſive de non accipiendo Nomine Dei in vanum, ſive de honore parentibus deferendo, ſive de cavendis fornicationibus, homicidiis, furtis, falſis teſtimoniis, adulteriis, re aliena concupiſcenda. Quid horum quiſquam dixerit Chriſtianum non debere ſervare? Hinc Chriſtus ait: Niſi abundaverit juſtitia veſtra pluſquam Scribarum, & Phariſæorum, non intrabitis in Regnum cælorum.

Luc. 23. 45.

Luc. 16.

Matt. 5. 17.

Gal. 5. 2.

Præcepta Moralia Chriſtianos etiam ſpectant.

Matt. 5. 20.

LexNova in Veteri latebat.

Lex Vetus Libris Moyſi, & Prophetarum: Lex nova quatuor Evangeliis, & Litteris Apoſtolicis continetur. Verumtamen in Libris Veteris Teſtamenti non tantum Lex, ſed & Evangelium reperitur in promiſſionibus de Chriſto venturo, & futura per Chriſtum gratia factis, quæ in Prophetis occurrunt frequentiſſime. Quo fit, ut Evangelium in Veteri etiam Teſtamento, & Lex in Evangelio admirabili connexione reperiatur. Eſt enim unum, & idem Evangelium, in quo omnes ſancti, & pii ab initio Mundi ſalvati ſunt. Unde Apoſt. 2. ad Cor. 4. ait: Habentes autem eundem ſpiritum fidei, ſicut ſcriptum eſt: Credidi, propter quod locutus ſum; & nos credimus, propter quod & loquimur. Quod & Chriſtus teſtatur Joannis 8. cum ait: Abraham pater veſter exultavit, ut videret diem meum, vidit, & gaviſus eſt. Tantum intereſt, quod gratia, quæ in Veteri Teſtamento latitabat, in Chriſti Evangelio revelata eſt, quemadmodum Apoſtolus ait, Epiſt. ad Romanos c. 3. Nunc autem ſine Lege juſtitia Dei manifeſtata eſt, teſtificata a Lege, & Prophetis. Lex igitur, & Prophetæ Evangelium obumbratum continebant. Unde S. Auguſt. Libro de Spiritu, & Littera, c. 15. ait: Hæc gratia in Teſtamento Veteri velata latitabat, quæ in Chriſti Evangelio revelata eſt, diſpenſatione temporum ordinatiſſima, ſicut Deus novit cuncta diſponere.

§. IV. Novæ Legis a Veteri diſcrimen.

Primum diſcrimen Novæ Legis a Veteri.

Triplex eſt Novæ Legis a Veteri Lege diſcrimen. Primum eſt, quod Lex vetus extra hominem, in tabulis lapideis, ſive in membranis ſcripta ſit, quæ homini infirmitatem ſuam tantum oſtendit, non etiam ſanat, atque eo ipſo indicat neceſſarium illi eſſe, ut ad gratiam Redemptoris per fidem confugiat: nova vero Lex ſit doctrina non ſcripta, vel pronuntiata, ſed potius interna, & viva, quæ per Spiritum Sanctum ſcribitur in cordibus noſtris, qua mens noſtra renovatur, qua ex injuſtis juſti evadimus, diffuſa caritate in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum, qui datus eſt nobis. Hinc Vetus Teſtamentum Lex operum, ſeu factorum appellatur, quia facta, & opera præſcribit, ac imperat, quorum tamen faciendorum virtutem non præſtat: & qui ſuis viribus Legem ſe implere gloriantur, hi dicuntur ex Lege operum, ſeu factorum propriam ſibi juſtitiam conſtituere velle, quæ tamen neminem juſtificare poteſt. Hinc etiam dicitur, Juſtitia carnis, quia Spiritu cor innovante, ac vivificante caret. Caro enim, more loquendi Scripturæ Sacræ, veterem hominem ſignificat nondum Spiritu Dei renovatum, ut Joannis 3. Quod natum eſt ex carne, caro eſt. Dicitur denique Vetus Teſtamentum, quia veteris hominis culpa, & infirmitas per litteram jubentem, & minantem non ſanatur, quemadmodum Apoſtolus ait: Non in vetuſtate litteræ, ſed in novitate Spiritus. Teſtamentum vero Novum vocatur Lex fidei, quia Fide in Chriſtum per dilectionem operante judicamur, & intus renovamur, non ex operibus legis, quæ fiunt ſine Spiritu ab his, qui Chriſtum non induerunt, & renovati non ſunt Spiritu mentis ſuæ. Dicitur etiam Juſtitia Spiritus, quia hanc Spiritus Sanctus in nobis operatur. Hinc Apoſtolus ad Romanos 3. ſcribit. Ex operibus legis non juſtificabitur omnis caro coram illo. Per legem enim cognitio peccati... Juſtitia autem per fidem Jeſu Chriſti, in omnes, & ſuper omnes, qui credunt in eum... Ubi eſt ergo gloriatio tua? Excluſa eſt. Per quam legem? Factorum? Non: ſed per legem Fidei. Arbitramur enim juſtificari hominem per fidem, ſine operibus legis. Id autem intereſt legem inter operum, & legem fidei, (inquit S. Auguſt. Lib. De Spiritu, & Littera, c. 13.) Quod operum lex minando imperat, hoc fidei lex credendo impetrat. Illa dicit, Non concupiſces: Iſta dicit, Cum ſcirem, quia nemo poteſt eſſe continens, niſi Deus det, & hoc ipſum erat

Lex vetus in tabulis lapideis ſcripta, lex nova in cordibus.

Exodi 20.

ſapientiæ, ſcire cujus eſſet hoc donum, adii Dominum; & deprecatus ſum, Ipſa eſt illa ſapientia, quæ pietas vocatur, quia colitur Pater luminum, a quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum. Colitur autem Sacrificio laudis, actioniſque gratiarum, ut cultor ejus nonin ſeipſo, ſed in illo glorietur. Ac per hoc, lege operum dicit Deus, Fac quod jubeo: lege fidei dicitur Deo, da quod jubes. Ideo enim jubet lex, ut admoneat, quod faciat fides, ideſt, ut cui jubetur, ſi nondum poteſt, ſciat quid petat: ſi autem continue poteſt, & obedienter facit, debet etiam ſcire quo donante poſſit. Non enim ſpiritum hujus mundi accepimus, ſed Spiritum, qui ex Deo eſt, ut ſciamus, quæ a Deo donata ſunt nobis. Juſtitia fidei bona opera non excludit, ſed parit. Fides enim ſine operibus mortua eſt. Et Legem habere in cordibus ſcriptam, hoc eſt in intimo affectu juſtitiam legis amplecti, ut fides per dilectionem operetur; (inquit S. Auguſt. cap. 27. ejuſdem Libri.) Ex quo intelligitur, ſolum Deum legem veterem in tabulis lapideis olim deſcripſiſſe: novam vero legem in cordibus noſtris ipſum ſolum non ſcribere: quoniam Spiritui Sancto illam ſcribenti per caritatem, nos cooperari neceſſe eſt.

Sap. 8.

Evangelii & Legis diſcrimen alterum.

Lex vetus homines a peccato coercet timore pœnæ: Lex nova ad faciendum bonum inclinat amore juſtitiæ.

Diſcrimen alterum Evangelii, & Legis in eo eſt, quod Lex vetus homines a peccato coerceat timore pœnæ; Lex nova, ſive Evangelium ad faciendum bonum inclinet amore juſtitiæ. Hinc illa dicitur Lex ſervitutis, iſta libertatis, & gratiæ: Illa lex timoris, hæc amoris, & caritatis. Ideo Apoſt. ad Rom. 8. ait: Non enim accepiſtis ſpiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater) Et ad Gal. 5. Vos enim in libertatem vocati eſtis: tantum ne libertatem in occaſionem detis carnis, ſed per caritatem Spiritus ſervire invicem. Hinc S. Auguſt. Lib. Contra Adimantum, c. 17. Hæc eſt, inquit, breviſſima, & apertiſſima differentia duorum Teſtamentorum, timor, & amor, illud ad hominem veterem, hoc ad novum hominem pertinet.

Legis & Evangelii tertium diſcrimen.

Tertium diſcrimen Evangelii, & Legis in eo poſitum eſt, quod Lex temporalia dumtaxat bona expreſſe, aperteque promitteret: Evangelium vero ſpiritualia, & æterna. Illa remunerationem terrenam; iſtud felicitatem æternam polliceatur. Carnali enim populo carnalia iſta, & temporalia amanti, & nondum capienti promiſſa cœleſtia, infima iſta Dei munera promiſſa ſunt a Deo, ne ab idolis, & dæmonibus illa peteret: Hæc enim Iſraelitis mandata ſua ſervantibus promiſit Deus, Ut etiam in ipſis infimis rebus, quomodo poſſent, Deum diligere aſſueſcerent: quamvis plus ibi operetur timor. Quæ tamen omnia bona temporalia figura ſunt donorum æternorum. Regnum vero cælorum, ac vitam æternam Lex Nova pollicetur. Unde Novum Teſtamentum Apoſtolus ad Hebr. 7. vocat Introductionem melioris ſpei, per quam proximamus ad Deum: Et Jeſum melioris Teſtamenti ſponſorem, & mediatorem eſſe docet, quod in melioribus repromiſſionibus ſancitum eſt. Nam ſi illud prius culpa vacaſſet, non utique ſecundi locus inquireretur (inquit Apoſtolus c. 8.) Veteris Teſtamenti defectum, & imperfectionem culpam vocat, in eo poſitam, quod peccatum oſtenderet, non tolleret; quod timore pœnæ, non amore juſtitiæ carnales homines coerceret: quod temporalia dumtaxat, non æterna bona promitteret. Hinc S. Aug. in Expoſitione Epiſtolæ ad Galatas, c. 4. Opera illa legis, inquit, ad Novum quoque Teſtamentum pertinere nemo ambigit: ſed alio fine, quo liberos ea facere decet, ideſt, caritatis æterna ſperantis hinc præmia, & ex fide exſpectantis. Non ſicut Judæi, qui timore iſta implere cogebantur, non illo caſto permanente in ſæculum ſæculi, ſed quo timebant præſenti vitæ ſuæ: & ideo quædam opera legis implebant, quæ in Sacramentis ſunt; illa veri quæ ad bonos mores pertinent, omnino non poterant. Non enim implet ea niſi caritas. Quia & hominem ſi propterea non occidit aliquis, ne & ipſe occidatur, non implet præceptum juſtitiæ: ſed ſi ideo non occidit, quia injuſtum eſt, etiam id poſſit facere impune, non ſolum apud homines, ſed etiam apud Deum. Sicut David cum divinitus accepiſſet in poteſtatem Regem Saul, impune utique occideret. Pepercit ergo diligens proximum ſicut ſeipſum, non ſolum perſecutum ſed etiam perſecuturum, qui eum corrigi, quam interfici malebat: homo in veteri Teſtamento, ſed non homo de veteri Teſtamento, quem fides futuræ hereditatis Chriſti revelata, & credita ſalvum faciebat, & ad imitandum vocabat.

Lex vetus remunerationem terrenam.

Lex nova felicitatem æternam pollicetur.

Heb. 8. Veteris, & Novi Teſtamenti diſcrimen.

Teſtamenti Novi diſcrimen a Veteri explicat Apoſtolus capite mox indicato Epiſtolæ ad Hebreos, ex Jeremiæ Vaticinio, c. 31. Ecce dies venient, dicit Dominus: & conſummabo ſuper domum Iſrael, & ſuper domum Juda Teſtamentum Novum; non ſecundum Teſtamentum, quod feci patribus eorum, in die, qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de Terra Ægypti, quoniam ipſi non permanſerunt in Teſtamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus. Quia hoc eſt Teſtamentum, quod diſponam domui Iſrael poſt dies illos, dicit Dominus: Dabo leges meas in mentem eorum, & in corde eorum ſuperſcribam eas: & ero eis in Deum, & ipſi erunt mihi in populum: & non docebit unuſquiſque proximum ſuum, & unuſquiſque fratrem ſuum, dicens: Cognoſce Dominum: quoniam omnes ſcient me a minore uſque ad majorem eorum. Quem locum explicans S. Aug. Lib. De Spiritu,

& Littera, c. 24. ait: Sicut ergo lex factorum ſcripta in tabulis lapideis, merceſque ejus Terra illa promiſſionis, quam carnalis domus Iſrael, cum ex Ægypto liberata eſſet, accepit, pertinet ad Teſtamentum Vetus: ita Lex fidei ſcripta in cordibus, merceſque ejus ſpecies contemplationis quam ſpiritalis domus Iſrael ab hoc mundo liberata percipiet, pertinet ad Teſtamentum Novum. Et Lib. 3. ad Bonifacium, c. 4. Illud (inquit) dicitur Vetus Teſtamentum, quia priore, hoc autem Novum, quia poſteriore tempore revelatum eſt. Deinde quia Teſtamentum Vetus pertinet ad hominem veterem, a quo neceſſe eſt hominem incipere: novum autem ad hominem novum, quo debet homo ex vetuſtate tranſire. Ideo in illo ſunt promiſſa terrena, in iſto promiſſa cœleſtia; quia ex hoc ad Dei miſericordiam pertinuit, ne quiſquam vel ipſam terrenam qualemcunque felicitatem, niſi a Domino creatore univerſitatis putet cuiquam poſſe conferri. Sed ſi propter illam colatur Deus, ſervilis eſt cultus, pertinens ad filios ancillæ: ſi autem propter ipſum Deum, ut in æterna vita ſit Deus omnia in omnibus, liberalis eſt ſervitus pertinens ad filios liberæ.

Juſti veteris Teſtamenti ad Novum Teſtamentum pertinebant.

Juſti quidem Veteris Teſtamenti præcepta legis obſervabant, non timore pœnæ, ſed amore juſtitiæ, non ſpiritu timoris, ſed caritatis; non propter mercedem dumtaxat temporalem, ſed primario, & præcipue propter æternam remunerationem, quæ temporalibus bonis a Deo promiſſis adumbrabatur; ſed ut ita legis mandata obſervarent, lex ipſa non præſtabat, ſed gratia, & caritas in eorum cordibus per Sp. Sanctum diffuſa. Unde ipſi, quanquam Veteris Teſtamenti tempore viverent, ad Novum Teſtamentum pertinebant; Veteris quidem Teſtamenti diſpenſatores, & geſtatores, ſed Novi demonſtrantur heredes: Et Nondum nomine, ſed reipſa fuerunt Chriſtiani; (inquit S. Aug. lib. 3. Ad Bonifacium, c. 3. & 4.) Carnales vero Judæi ſub Lege poſiti, ſola Veteris Teſtamenti promiſſa terrena ſpectantes, & quid pro Novo Teſtamento ea ipſa ſignificarent, ignorantes, eorum adipiſcendorum amore, & amittendorum timore, Dei præcepta ſervabant, immo non ſervabant, ſed ſibi ſervare videbantur. Neque enim fides in eis per dilectionem operabatur, ſed terrena cupiditas, metuſque carnalis. Sic autem præcepta qui facit, procul dubio invitus facit, ac per hoc in animo non facit: magis vult enim omnino non facere, ſi ſecundum ea quæ cupit, & metuit, permittatur impune. Ac per hoc in ipſa voluntate intus eſt reus, ubi ipſe qui præcipit inſpicit Deus. Tales erant filii terrenæ Jeruſalem; de qua dicit Apoſtolus: Servit enim cum filiis ſuis pertinent ad Teſtamentum Vetus a Monte Sina in ſervitutem generans, quod eſt Agar: Ideſt, quod per Agar ſignificatur. Contra vero plurimi ſunt Legis Evangelicæ temporibus ſolo nomine, non reipſa, ſive ſpiritu Chriſtiani, ſub lege poſiti, non ſub gratia, ad Vetus Teſtamentum etiamnum pertinentes: quia ſolo pœnæ timore, non amore juſtitiæ fideque per dilectionem operante, mandata Dei quoad externa tantum opera obſervant. Terrenam felicitatem vel cupiditate adipiſcendi, vel timore amittendi: & ideo non vere faciunt; quoniam carnalis cupiditas, qua peccatum commutatur potius, vel augetur, cupiditate alia non ſanatur. Hi ad Vetus pertinent Teſtamentum, quod in ſervitutem generat; quia facit eos carnalis timor, & cupiditas ſervos, non Evangelica Fides, Spes, & Caritas liberos; inquit S. Aug. loco mox indicato.

Gal. 4. 25.

Plurimi Chriſtiani carnalibus Judæis ſimiles.

Chriſtiani terrenam felicitatem deſiderare non debent.

Ex his colligitur Chriſtianos Novi Teſtamenti heredes terrenam felicitatem deſiderare non debere, quæ ſecundum veterem hominem concupiſcitur, ſed æternam dumtaxat felicitatem, quæ Deus eſt, bonaque ſpiritualia ad ipſum conducentia: cum afflictiones, tribulationes, calamitates, Cruces, Chriſtianorum benedictiones ſint; neque bona terrena, & temporalia, ſed ſpiritualia, & æterna Chriſtus in Novo Teſtamento promiſerit. Hinc Apoſtolus ad Gal. 3. ſcribit; Nemo moveatur in tribulationibus iſtis: ipſi enim ſcitis, quod in hoc poſiti ſumus. Et S. Aug. Serm. 296. alias De Diverſis, 106. Chriſtianorum eſt, inquit, pati mala temporalia, & bona ſperare ſempiterna. Et rurſus: Non vocatus es ad amplectendam terram, ſed ad comparandum cœlum; non ad felicitatem terrenam, ſed ad cœleſtem: non ad temporales ſucceſſus, & proſperitatem volaticam, & tranſitoriam, ſed ad æternam cum Angelis vitam. Et Serm. 302. alias 111. De Diverſis: Chriſtianus es, in fronte portas Crucem Chriſti. Character tuus docet, quid profitearis... Ab iſto ſigno, ab iſto Charactere, quem accipit Chriſtianus, etiam cum ſit Catechumenus, hinc intelligitur quare ſumus Chriſtiani, quia non propter temporalia, & tranſeuntia, vel bona, vel mala, ſed propter vitanda mala, quæ non tranſibunt, & propter adipiſcenda bona, quæ terminum non habebunt. Et Serm. 46. De Paſtoribus, alias De Tempore 141. Paſtores arguens, qui felicitatem terrenam auditoribus ſuis promittunt: Quales autem ſunt, inquit, qui timentes eos lædere, quibus loquuntur, non ſolum non præparant ad imminentes tentationes, ſed etiam promittunt felicitatem hujus ſæculi, quam Deus ipſi ſæculo non promiſit? Ille prædicit labores uſque in finem venturos ipſi ſæculo, & tu vis ab iſtis laboribus exceptum eſſe Chriſtianum, qui: Quia Chriſtianus eſt, aliquid plus paſſurus eſt in hoc ſæculo. Etenim ait Apoſtolus, Omnes, qui volunt in Chriſto pie vivere, perſecutionem patientur.

Chriſtianus, quia Chriſtianus eſt, plus aliis paſſurus eſt in hoc ſæculo.

2. Tim. 3.

§. V. De Lege Humana.

Præter Legem divinam, naturalem, ac poſitivam, Leges aliquas ab hominibus condi neceſſe fuit ad publicam tranquillitatem, ut homines improbi per vim ſaltem, vel metum a vitiis cohiberentur, & bene agendi conſuetudine contracta, ſponte agerent aliquando bonum, quod metu prius agebant. Hinc S. Iſidori Lib. 5. Originum, c. 20. Factæ ſunt Leges (inquit) ut earum metu humana coerceatur audacia, tutaque ſit inter improbos innocentia, & in ipſis improbis formidato ſupplicio refrænetur nocendi facultas.

Conditiones neceſſariæ, ut Lex humana ſit juſta.

A lege naturæ lex omnis humana derivatur: Nam lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit, ut ait Evodius, approbante S. Auguſt. Lib. 1. De libero arbitrio, c. 5. Si vero in aliquo a lege naturali diſcordet, jam non erit lex, ſed legis corruptio, ut docet S. Thom. 1. 2. q. 96. art. 4. Ut ergo juſta ſit lex humana, neceſſe eſt, ut nihil jubeat per ſe malum, nihil prohibeat per ſe bonum. 2. Ut Legiſlatoris poteſtatem non excedat. 3. Ut propter debitum finem, ſcilicet propter bonum commune feratur, non ob privata Legiſlatoris commoda. 4. Ut onera ob publicum bonum ſubditis impoſita æqualiter diſtribuantur, ſervata virium, & facultatum proportione.

Lex humana quotuplex.

Lex humana alia eſt Eccleſiaſtica, alia Civilis. Hæc ab Eccleſia condita, ut Chriſtianos in finem æternæ beatitudinis dirigat. Iſta a Summis Principibus, Reſpublicis, aut populis inſtituta ob communem tranquillitatem, ac ſecuritatem.

Jus Eccleſiaſticum.

Jus Eccleſiaſticum aliud eſt ſcriptum, aliud in Eccleſia ſine ſcripto cuſtoditum. Scriptum, ſunt Canones Spiritu Dei conditi, Conciliorumque Generalium, Provincialium Diœceſanorum Decreta, Conſtitutiones Romanorum Pontificum, Epiſcoporum Statuta. Non ſcriptum, ſunt Traditiones, & Conſuetudo.

Traditiones.

Traditiones in iis rebus, ac præceptis poſitæ ſunt, quæ ab Apoſtolis, aut Apoſtolicis viris ſive Apoſtolorum diſcipulis viva voce, & citra ſcripturam tradita, & præſcripta, ad nos uſque velut per manus pervenerunt. De quibus Canon Eccleſiaſticarum, diſt. 11. ſumptus ex S. Baſilio Lib. 3. De Spiritu Sancto, c. 27.

Conſuetudo.

Vis Conſuetudinis.

Conſuetudo, eſt jus quoddam moribus inſtitutum, quod pro Lege ſuſcipitur. Conſuetudines partim generales ſunt, quæ ab Apoſtolicis fere temporibus introductæ ſervantur ab univerſa Eccleſia: partim ſpeciales hujus, vel illius Eccleſiæ, Provinciæ, aut etiam Nationis. Utrumque genus intra ſuos terminos Juris robur habet. Triplex autem eſt vis Conſuetudinis. 1. Ut legis deficientis vicem ſuppleat. 2. Ut legem dubiam interpretetur. 3. Ut ſi contra jus priſtinum invaluerit, legem abroget. Qua de re S. Th. 1. 2. q. 97. a. 3. ad ſecundum: Leges humanæ, inquit, in aliquibus caſibus deficiunt; unde poſſibile eſt quandoque præter legem agere) in caſu (ſcilicet in quo deficit lex) & tamen actus non erit malus: & cum tales caſus multiplicantur propter aliquam mutationem hominum, tunc manifeſtatur per conſuetudinem, quod lex ulterius non eſt utilis, ſicut etiam manifeſtaretur, ſi lex contraria verbo promulgaretur. Si autem adhuc maneat ratio eadem, propter quam prima lex utilis erat, non conſuetudo legem, ſed lex conſuetudinem vincit: niſi forte propter hoc lex inutilis videatur, quoniam non eſt poſſibilis ſecundum conſuetudinem Patriæ quæ erat una de conditionibus legis. Difficile eſt enim, conſuetudinem multitudinis removere.

Et in Reſponſione ad tertium: Multitudo, in qua conſuetudo introducitur, duplicis conditionis eſſe poteſt. Si enim ſit libera multitudo, quæ poſſit ſibi legem facere, plus eſt conſenſus multitudinis ad aliquid obſervandum, quem conſuetudo manifeſtat, quam auctoritas Principis, qui non habet poteſtatem condendi legem, niſi in quantum gerit perſonam multitudinis. Si vero multitudo non habeat liberam poteſtatem condendi ſibi legem, vel legem a ſuperiori poteſtate poſitam removendi: tamen ipſa conſuetudo in tali multitudine prævalens, obtinet vim legis, in quantum per eos toleratur, ad quos pertinet multitudini legem imponere. Ex hoc enim ipſo videntur approbare, quod conſuetudo introduxit.

Quot modis lex humana mutari poſſit.

Lex itaque humana, ſeu Eccleſiaſtica, ſeu Civilis mutari poteſt. 1. Ab ipſo Legiſlatore. 2. Ab illius Superiore plenam in illum juriſdictionem habente. 3. Ab ejus in eandem auctoritatem Succeſſore. 4. Contraria conſuetudine. Mutatio autem legis fieri poteſt, vel reſpectu univerſitatis, vel reſpectu privatorum. Totius univerſitatis reſpectu mutari poteſt, 1. Cum recepta quidem eſt, ſed nondum uſu firmata; quæ dicitur Irritatio. 2. Cum uſu firmata eſt, ſed revocatur, aut contraria lex fertur, ac promulgatur, quæ vocatur Abrogatio. 3. Cum plura capita complectitur, & quoad aliqua mutatur; quæ appellatur Derogatio. Reſpectu privatorum duobus modis poteſt mutari. 1. Diſpenſatione 2. Privilegio.

Quid ſit diſpenſatio.

Diſpenſatio eſt juris communis relaxatio ex juſta cauſſa, a Legum Conditoribus, ſeu Rectoribus multitudinis facta. Contingit enim aliquando, ut aliquod præceptum multitudini commodum non ſit conveniens huic perſonæ, vel in hoc caſu, quia vel per hoc impediretur aliquid melius, vel induceretur aliquod malum: id autem cujuslibet judicio periculoſe committeretur. Unde ſolus legis Conditor, vel ejus Superior, aut Succeſſor in eandem auctoritatem in lege huma-

na diſpenſare poteſt, ut ſcilicet in perſonis, vel in caſibus, in quibus lex humana deficit, licentiam tribuat, ut præceptum legis non ſervetur. Ita ratiocinatur *S. Thom.* loco ſuperius indicato art. 4.

Quid Privilegium.

Privilegium eſt Lex privatorum, quibus ſcilicet juſtis de cauſſis lex a communi diverſa, ſeu immunitas a lege communi conceditur.

ARTICULUS III.

REGULÆ PRAXIM SPECTANTES

Circa Legum obligationem, & obſervantiam.

REGULA PRIMA.

Leges humanæ cum Eccleſiaſticæ, tum Civiles, & Politicæ conſcientiam ligant, adeo ut violari non poſſint in re gravi abſque mortali peccato.

De Legibus quidem Eccleſiaſticis id Chriſtus ipſe docet Matth. 18. *Si Eccleſiam* (inquit) *non audierit*, (ideſt, ſi Eccleſiæ Prælato non paruerit) *ſit tibi ſicut Ethnicus, & Publicanus.* Et Luc. 10. *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hinc S. Paulus confirmans Eccleſias, *præcipiebat cuſtodiri præcepta Apoſtolorum, & Seniorum.* Et 2. ad Theſſ. 3. ait: *Si quis non obedit verbo noſtro per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum illo, ut confundatur.* Et ad Hebr. 13. *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis: Ipſi enim pervigilant, quaſi rationem pro animabus veſtris reddituri.*

De Legibus Civilibus idem docet Apoſt. ad Rom. 13. *Omnis anima*, inquit, *Poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit: non eſt enim Poteſtas niſi a Deo: quæ autem ſunt a Deo ordinata ſunt. Itaque, qui reſiſtit Poteſtati, Dei ordinationi reſiſtit. Qui autem reſiſtunt, ipſi ſibi damnationem acquirunt: nam Principes non ſunt timori boni operis, ſed mali. Vis autem non timere Poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa, Dei enim Miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſſa gladium portat, Dei enim Miniſter eſt, vindex in iram ei, qui malum agit. Ideo neceſſitate ſubditi eſtote, non ſolum propter iram, ſed etiam propter conſcientiam. Ideo enim & tributa præſtatis: Miniſtri enim Dei ſunt, in hoc ipſum ſervientes. Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem.* Et ad Titum 3. *Admone illos Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire.* Et 1. Petri 2. *Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ propter Deum, ſive Regi tanquam præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, quia ſic eſt voluntas Dei.*

Propoſitio damnata.

Merito itaque Sacra Facultas Pariſienſis damnavit illam *Amedæi Guimenii* Propoſitionem: *Subditi poſſunt juſta tributa non ſolvere.* Eandemque Generalis Cleri Gallicani Conventus anno 1700. damnavit *Ut ſeditioſam, doctrinæque Apoſtolicæ, ac dictis Dominicis aperte contradicentem.*

REGULA II.

Violatio Legis humanæ ſive Eccleſiaſticæ, ſive Civilis, ex contemptu etiam in materia levi, mortale peccatum eſt.

De legum obligatione, & obſervantia.

Cotemptu namque Legis gravis injuria fit Legislatori. Cenſetur autem aliquis ex contemptu Legem violare, non quoties ex malitia, vel ex ira, vel ex alia animi perturbatione, & prava cupiditate ipſam violat, ſuæ libidinis expletionem præcepto Legis anteponens; quamvis frequenter ex eadem vel ſimili cauſſa, aut etiam ſine cauſſa, & ex conſuetudine illam violaret; ſed quando Legislatorem, ejuſque Legem aſpernatur, eique ſubjici recuſat, aut ſubjectum ſe eſſe indignatur; facitque, quod eſt prohibitum, aut omittit, quod præceptum eſt, ideo quia prohibitum eſt, aut præceptum; aut quia ab hoc homine, qui tamen legitimus ejus Superior eſt, prohibetur, aut jubetur.

Hanc Regulam confirmat *S. Bern.* Lib. *De Præcepto, & Diſpenſatione*, c. 8. *Hæc ergo* (inquit) *generalis Regula ſit univerſorum, quæ per ſe, aut propter ſe nec bona, nec mala ſunt, aut divina inſtitutione, aut propria cujuſque profeſſione fixa non ſunt, ut non juſſa quidem, licite utrumlibet vel admittantur, vel omittantur; juſſa vero ſine culpa non negligantur, ſine crimine non contemnantur. Ubique enim & culpabilis neglectus & contemptus damnabilis eſt. Differunt autem, quod neglectus quidem languor inertiæ eſt, contemptus vero ſuperbiæ tumor. Porro contemptus in omni ſpecie mandatorum pari pondere gravis, & communiter damnabilis eſt.*

Et cap. 11. Loquens de quibuſdam peccatis ratione materiæ levibus, ait: *Peccata ſunt, & Deus prohibet omne peccatum: & tamen venialia, non criminalia reputantur, excepto cum per contemptum vertuntur in uſum, & conſuetudinem, & tunc non peccati ſpecies, ſed peccantis intentio penſatur. Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio, in minimis quoque mandatis culpam facit non minimam, & convertit in crimen gravis rebellionis nevum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis.*

De legum obligatione, & obſervantia.

Eandem Regulam confirmat *S. Th.* 2. 2. q. 184. ubi docet, Regulam Monaſticam quantum ad ea, quæ ad actus quidem virtutum pertinet, ſed tamen excedunt communiter neceſſitatem præcepti, *non obligare ad mortale, niſi propter contemptum: quia Religioſus non tenetur eſſe perfectus, ſed ad perfectionem tendere, cui contrariatur perfectionis contemptus.* Item tranſgreſſionem eorum, quæ ſpectant regulares obſervantias, non eſſe mortale peccatum, *niſi vel propter contemptum Regulæ, vel propter præceptum, ſive oretenus a prælato factum, ſive in Regula expreſſum.*

Et in Reſponſione ad tertium; *Tunc*, inquit, *committit aliquis, vel tranſgreditur ex contemptu, quando voluntas ejus renuit ſubjici ordinationi Legis, vel Regulæ: & ex hoc procedit ad faciendum contra Legem, vel Regulam. Quando autem propter aliquam particularem cauſſam, puta concupiſcentiam, vel iram, inducitur ad aliquid faciendum contra ſtatuta Legis, vel Regulæ, non peccat ex contemptu, etiamſi frequenter ex eadem cauſſa, vel alia ſimile peccatum iteret. Frequentia tamen peccati diſpoſitive inducit ad contemptum, ſecundum illud* Prov. 18. *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit.*

REGULA III.

Violatio Legis humanæ cum gravi ſcandalo, etiamſi res ſit ſecundum ſe levis, mortale peccatum eſt.

Cauſſam enim, vel occaſionem gravis ruinæ proximis præbere grave peccatum eſt. 1. ad Cor. 8. *Sic autem peccantes in fratres, & percutientes conſcientiam eorum infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca ſcandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in æternum, ne fratrem meum ſcandalizem.*

REGULA IV.

Homo Legislator in materia levi ſub mortali peccato obligare non poteſt.

Legem enim æternam, ac naturalem conſulere debet ac imitari. Unde *S. Aug.* l. *De vera Religione* c. 31. ait: *Conditor Legum temporalium, ſi vir bonus eſt, & ſapiens, illam ipſam conſulit Legem æternam, ut ſecundum ejus immutabiles Regulas, quid ſit pro tempore vitandum, jubendumque, diſcernat.* Leges autem æterna, & naturalis nunquam obligant in materia levi ſub peccato mortali. Præterea Lex rem levem ſub peccato mortali præcipiens, vel prohibens, injuſta eſſet, occaſionemque ſcandali præberet ſubditis; quamobrem de Legum hujuſmodi Conditoribus merito diceretur: *Alligant onera gravia, & importabilia in humeros hominum:* Matt. 23. 4.

Itaque ſi Prælatus Eccleſiaſticus, vel Superior Regularis, ſub pœna Excommunicationis, alteriuſque Cenſuræ, vel in virtute Sanctæ Obedientiæ præcipiat, aut prohibeat rem aliquam, quæ ſpectatis omnibus circumſtantiis levis eſt: nec boni communis intuitu alicujus eſt momenti, cum nec ad ſalutem animarum, ac morum honeſtatem, nec ad bonum nomen Eccleſiaſtici, aut Religoſi Ordinis, nec ad votorum obſervantiam, nec ad ſcandali, aut periculi gravis deviationem, nec ad publicam tranquillitatem magni referat, injuſtum erit præceptum; & qui illud violabit, nec lethalis peccati reus, nec Excommunicationi, vel Suſpenſioni erit obnoxius.

De legum obligatione & obſervantia. In favorem auctoritatis, ac obedientiæ ſemper judicandum, niſi lex eſſet evidenter injuſta.

Sed tamen, quia ſubditi ſæpe ignorant neceſſitatem, juſtaſque cauſſas, & rationes, ob quas ejuſmodi præcepta fiunt a Superioribus, ac in favorem auctoritatis, ac obedientiæ judicandum eſt, niſi ſit evidens injuſtitia; ideo hujuſmodi Cenſuræ, quarum ſub interminatione res, quæ ſecundum ſe levioris videntur momenti, præcipiuntur, aut prohibentur, contemnendæ non ſunt, ſed metuendæ; præceptiſque Superiorum, ac Legibus parendum eſt: nec ſibi ſumere debent inferiores judicium de materiæ gravitate, ac levitate comparate ad bonum commune. Id enim ad Legislatorem pertinet.

REGULA V.

Quoties Lex humana præcipit aliquid, vel prohibet ſub gravi pœna, v. gr. mortis, mutilationis, exilii, damnationis ad triremes, infamiæ, privationis omnium bonorum, Dignitatum, Officiorum, Excommunicationis, aut alterius Cenſuræ, aut ſub obteſtatione Divini Judicii, vel ſub indignatione Apoſtolorum Petri, & Pauli, vel ſub pœna incurrendi indignationem Principis; recte colligitur, Legem, aut Præceptum ſub mortali peccato obligare, nec levis momenti rem eſſe, quæ præcipitur, vel prohibetur.

Prudens enim vero legislator graves adeo pœnas pro re levi non ſolet imponere.

REGULA VI.

Lex obligat ſub mortali peccato, quoties præcipiendi, aut prohibendi verba uſurpat in materia gravi.

Hæc Regula colligitur ex Clementina *Exivi*. Tit. *De Verborum Significatione*, ubi *Clem. V.* declarat S. *Franciſcum* in

in ſua Regula aperte diſcreviſſe; quod quoad quædam eorum, quæ in ea ſtatuta ſunt, *ex vi verbi tranſgreſſio eſt mortalis, & quoad quædam alia, non.* Verbum autem illud eſſe verbum præcipiendi, ſignificat: *Cum ad quædam ipſorum*, inquit, *verbum apponatur præcepti, vel æquipollentis eidem; & quoad aliqua verbis aliis ſit contentus.*

REGULA VII.

Lex pœnalis mixta, quæ nimirum præcipit aliquid fieri, vel omitti, pœna in tranſgreſſores ſtatuta, non ad pœnam tantum obligat, ſed ad culpam, ſi copulativa propoſitione feratur: ut ſi dicatur, Nemo pecuniam efferat extra Regnum, & ſi extulerit, ſolvat centum nummos.

Appoſitio enim pœnæ vim præcepti non evertit. Unde Canon. *Omnis utriuſque ſexus*, Extr. *De Pœnitentiis: & Remiſſionibus*, annuam Confeſſionem, & Communionem Paſchalem jubet ſub pœna Excommunicationis, & privationis Eccleſiaſticæ Sepulturæ: aliique leguntur Canones quamplurimi & Conſtitutiones Pontificum, quibus aliquid præcipitur, aut prohibetur, latis in violatores Excommunicationis, aliarumque Cenſurarum pœnis; & tamen eos a peccato immunes nemo aſſerit, immo ex adjectione gravis pœnæ gravius illorum eſſe peccatum, omnes conſentiunt.

REGULA VIII.

Lex pœnalis mixta, quæ disjunctiva propoſitione fertur, obnoxium culpæ non facit tranſgreſſorem, ſi pœnam, ſive mulctam ſolvere velit: ut ſi dicatur; Nemo frumentum evehat extra Regnum, vel ſi evexerit, centum nummis mulctetur.

De legum obligatione, & obſervantia.

Qui enim partem legis disjunctivæ ſervat, ejus violator minime cenſendus eſt, cum lex utramque non præcipiat, ſed ſubditorum relinquat arbitrio, ut quam partem voluerint, eligant, ideſt, faciant, quod Lex jubet, ſeu omittant, quod prohibet, aut mulctam ſtatutam ſolvant. Sicut ergo, qui votum emittit his verbis conceptum: Voveo, me nunquam chartis luſurum, vel quoties luſero, nummum erogabo pauperibus; etſi ab hujuſmodi ludo ſimpliciter abſtinere ex voto non teneatur, nec voti violator ſit cenſendus, ſi forte luſerit, modo nummum det pauperibus: reus autem erit infracti voti, ſi luſerit, nec mulctam votivam ſolverit: ita reus non erit violatæ legis mixtæ, ſub disjunctione poſitæ, ſi pœnam ſubire, ſeu mulctam ſolvere maluerit.

Cæterum nemo a culpa immunes eſſe putet violatores legum pœnas ſtatuentium adverſus illos, qui ex ſylva non communi, ſed aliena, arbores cædunt, & ligna capiunt, aut in pratis alienis pecora ſua paſcunt: obligatio namque legis divinæ furtum prohibentis, lege pœnali ab hominibus lata tolli non poteſt; alioqui nullum, quantumvis grave, furtum, peccatum eſſet, cum Legibus humanis pœnæ in fures ſtatutæ ſint.

Nemo etiam a peccato, neque a reſtitutione excuſet illos, qui vectigalia, ſeu antiqua, ſeu recens impoſita auctoritate Principis, aut Reipublicæ per fraudem ſolvere prætermittunt: quamvis ſubeant periculum luendæ pœnæ per legem ſtatutæ. Quæ enim juſte ſunt debita, non fiunt indebita propter appoſitionem pœnæ: ſed inde potius eluceſcit obligatio gravis ſolvendi.

REGULA IX.

Legem pœnalem nuſquam abſque peccato violari, probabilius eſt.

Leges enim humanas, ſi juſtæ ſint, obligare in foro conſcientiæ, docet *S. Th.* 1. 2. q. 96. vimque ita obligandi legibus tantum injuſtis negat; leges itaque pœnales conſcientiam ligant, ſi juſtæ ſint, earumque violatio reos coram Deo homines facit.

De legum obligatione, & obſervantia.

Præterea, omnis inobedientia peccatum eſt: Violationem porro legum pœnalium inobedientiam eſſe nemo vere negaverit. Cum enim Legislator aliquid fieri, vel omitti præcipit indicta pœna, eo ipſo talem actionem præcipit, vel prohibet: ideo ſcilicet pœnam decernit, ut ejus metu ſubditos efficacius permoveat ad obediendum, & eos, qui non paruerint, plectat, ad ſervandum ordinem, & in exemplum aliorum. Unde hujuſmodi leges: Qui nocte armatus inceſſerit, in carcerem mittetur: Qui frumentum, aliaſve merces e Regno extulerit, ſolvet centum nummos: Qui ſalinarium vectigal fraudaverit, talem pœnam dabit: expreſſe quidem pœnam ſtatuunt infligendam: virtute vero actionem prohibent, a qua pœnæ metu ſubditi deterrentur.

* Ut in conſtitutionibus FF. Prædicatorum.

Si tamen Legislator declaret, ſe ita ſtatuere, ut ſoli pœnæ obnoxios ſubditos eſſe velit, quo modo Religioſorum quorumdam Ordinum Conſtitutiones ad pœnam dumtaxat, non ad culpam obligare, in iiſdem Conſtitutionibus declaratur; cujuſmodi etiam Statuta in quibuſdam oppidis, ſocietatibus, aut collegiis reperiuntur: Statuta illa ſine peccato violabuntur, ſi contemptus, ſcandalum, vel præceptum Superiorum abſit.

REGULA X.

Cum lex pœnalis decernit pœnam infligendam, Reus illam ſubire non tenetur ante Sententiam Judicis.

De legum obligatione, & obſervantia.

In pœnis enim benignior eſt interpretatio facienda; ut habet Regula Juris 49. in *Sexto*.

REGULA XI.

Pœnam lege latam, quæ actionem rei requirit, ille ſubire non tenetur ante Sententiam Judicis, niſi forte ad Canonicam aut Religioſam Diſciplinam pertineat, ut Jejunium, oratio, &c. aut verba Legis expreſſe ſignificent expectandam non eſſe Sententiam.

Cum enim Leges mutæ ſint, & inanimatæ, opus eſt, ut Judex earum executionem curet, ſi earum executio abſque actione fieri non poſſit. Ab humana præterea conſuetudine alienum eſt, ut is, qui in Legem peccavit in exilium proficiſcatur, aut mulctam perſolvat indemnatus.

REGULA XII.

Pœnam ſubire tenetur Reus, lata Sententia.

Debet enim parere juſtæ Sententiæ Judicis legitimi. Quamobrem ſi Reus exilio damnatus ſit, aut mulcta pecuniaria, ſponte in exilium abire, aut mulctam ſolvere tenetur ex officio conſcientiæ. Si tamen actio pœnæ executrix non ſit reo licita, vel crudelis ſit, & inhumana, reus pœnam ſibi ipſi infligere non tenetur, etiam poſt Sententiam Judicis; quia ſuavitati legum, ipſique legi naturæ repugnat, ut homo in ſeipſum carnificinam exerceat, ſeque ipſum mutilet, aut occidat; ſed pœnam a lictore, ſeu miniſtro juſtitiæ infligendam, in expiationem delicti, Chriſtiano animo pati debet.

REGULA XIII.

In pœnam Lege latam incurritur ante Sententiam Judicis, ſi in mera privatione conſiſtat.

Id enim intereſt inter pœnam ferendam, & latam, ut iſta ante ſententiam Judicis non infligatur; in hanc ſtatim poſt delictum incurratur. Sic Cenſuris, in quas ipſo facto incurri lex ſtatuit, ac declarat, ſtatim conſtringitur, qui legem violavit. Idem eſto judicium de privatione vocis activæ, aut paſſivæ, quam lex ipſo facto incurrendam declarat. Sic Eccleſiaſtici Beneficii titulo, ac proprietate ſtatim excidit, qui peccatum commiſit, propter quod lex ipſo facto privatum Beneficio decernit. Beneficio tamen abdicare, ac ſpoliare ſeipſum non tenetur ante declarationem Judicis, niſi id lege ſit expreſſum, aut nullum antea titulum, juſque in Beneficio habuerit. Unde ſi Parochus in Legem peccaverit, quæ aliquid præcipit, vel prohibet ſub pœna privationis Beneficii ipſo facto incurrenda, Acta ejus valere, Confeſſioneſque apud ipſum factas, dataſque Abſolutiones ratas eſſe, Theologi ſummo conſenſu docent, approbatque Mater Eccleſia, ut conſcientiarum quieti conſulatur. Fructus etiam Beneficii percipere, ac retinere tuta conſcientia poteſt, qui ipſo jure Beneficio excidit, modo Officia, & onera Beneficio annexa exequatur, impleat, & ferat. Ad id enim titulum coloratum ſufficere Doctiſſimi Theologi cenſent; eaque eſt Gallicanæ Jurisprudentiæ praxis. Si tamen Lege lata ſtatutum ſit, ne faciat fructus ſuos, vel ut eos tuta conſcientia retinere non poſſit, ab illis percipiendis abſtinere, & perceptos reſtituere tenebitur.

REGULA XIV.

Leges humanæ, cum Eccleſiaſticæ, tum Civiles, non obligant ut plurimum cum vitæ, aut incommodi graviſſimi periculo.

Neque enim lex ipſa naturalis (exceptis iis præceptis quæ prohibendi rem per ſe malam vim habent) neque lex divina poſitiva ſemper obligat cum vitæ periculo, cum tamen majorem obligandi vim habeant quam leges humanæ. Lex enim de reddendo depoſito non obligat eum, cui ex redditione depoſiti mors imminet. Lex de eleemoſyna graviter indigenti eroganda non obligat eum, qui famæ conficiendus eſt, ſi panem unicum, quem habet, alteri tribuat. Lex de ſervando ſecreto non obligat eum, qui mortem, aut grave damnum paſſurus eſt, ſi illud ſervet: niſi ſacrum ſecretum ſit, quale eſt ex ſola Confeſſione notum; aut ſecretum Principis, vel Reipublicæ, aut ad illud ſervandum juramenti religione ſe obſtrinxerit. Leges etiam divinas poſitivas cum vitæ periculo non ſemper obligare certum eſt. Nam *Davidem* Panes propoſitionis urgente neceſſitate innoxie comediſſe: Machabæos Sabbato pugnaſſe, inviolata lege de ſanctificatione Sabbati, res eſt ex ſacris Scripturis comperta, & explorata. Pari ratione dixerimus, neminem ad audiendum Sacrum feſtis diebus, ad Jejunium Eccleſiaſticum ſervandum, ad Horas Canonicas recitandas, ad vitandos Excommunicatos, & ſimilia, cum periculo vitæ, vel alterius incommodi graviſſimi paſſim, & ſemper obligari.

R E G U L A XV.

Leges humanæ, cum Eccleſiaſticæ, tum Civiles, interdum obligant cum vitæ periculo.

De legum obligatione, & obſervantia.

Quandoque enim neceſſe eſt pro communi bono Eccleſiæ, vel Rei publicæ ea agere, quæ vitæ periculum adjunctum habent, ut in bello, navigatione, peſtilentia, vel ſimilibus. Sic Epiſcopi, & Parochi perſecutionis tempore reſidere tenentur, ſi in totum gregem perſecutio ſæviat, necnon tempore peſtilentiæ, ac Sacramenta per ſeipſos miniſtrare, ſi major pars Diœceſanorum, aut Parochianorum contagione laboret. Sic Epiſcopus ſibi ſubdito Sacerdoti præcipere poteſt, ut fidem confiteatur, ac prædicet tempore perſecutionis: vel ut Sacramenta morbo peſtifero laborantibus adminiſtret. Similiter Dux Militi præcipere poteſt, ne ſtationem deſerat, ut in hoſtilem aciem irrumpat, ut hoſtium propugnacula invadat, muroſque conſcendat, quamvis ſupremum vitæ periculum parendo ſit aditurus.

R E G U L A XVI.

Lex humana cum vitæ periculo obligat, quoties ejus violatio vergit in contemptum Fidei, Religionis, aut Eccleſiaſticæ Poteſtatis, aut etiam in contemptum, injuriamque Regiæ Majeſtatis.

Pluris enim refert Fidem, Religionem, Eccleſiaſticam Poteſtatem, & Regiam Majeſtatem non contemni, vel injuria affici, quam vitam privati cujuſque hominis ſervari. Unde ſi metus mortis incutiatur alicui, niſi carnes ſtatis jejunii diebus comedat; niſi Miſſam audire prætermittat; niſi coram Excommunicatis palam denuntiatis Sacrum faciat; niſi Regis imaginem, vel Edictum laceret; quod fit in contemptum, injuriam, ac ludibrium Fidei, Religionis, Eccleſiaſticæ Poteſtatis, aut Regiæ Majeſtatis, mortem ſubire potius oportet, quam Leges humanas in his rerum circumſtantiis violare.

R E G U L A XVII.

Leges humanas divinæ legi contrarias obſervare non licet.

Obedire enim oportet Deo magis, quam hominibus, ut docent Apoſtoli act. 5. Hinc *S. Hier.* in c. 6. Epiſtolæ ad Epheſios ait: *Non audiat ſervus carnalem Dominum, ſi contraria Dei præceptis voluerit imperare*. Et *S. Aug.* Enarratione in Pſ. 124. de Militibus Juliani Apoſtatæ ait: *Milites Chriſtiani ſervierunt Imperatori infideli; ubi veniebatur ad cauſſam Chriſti, non agnoſcebant niſi illum, qui in Cælo erat. Si quando volebat, ut idola colerent, ut thurificarent, præponebant illi Deum: quando autem dicebat, Producite aciem, ite contra illam Gentem, ſtatim obtemperabant. Diſtinguebant Dominum æternum a Domino temporali; & tamen ſubditi erant propter Dominum æternum etiam Domino temporali.*

De legum obligatione, & obſervantia.

Et lib. 3. *Confeſſionum* c. 8. *Cum Deus* (inquit) *aliquid contra morem, aut pactum quorumlibet jubet, & ſi nunquam ibi factum eſt, faciendum eſt, & ſi omiſſum, inſtaurandum: & ſi inſtitutum non erat, inſtituendum eſt. Si enim Regi licet in civitate, cui regnat, jubere aliquid, quod neque ante illum quiſquam, nec ipſe unquam juſſerat: & non contra ſocietatem civitatis ei obtemperatur, immo contra ſocietatem non obtemperatur: generale quippe pactum eſt ſocietatis humanæ obedire Regibus ſuis: quanto magis Deo regnatori univerſæ creaturæ ſuæ, ad ea, quæ juſſerit, ſine dubitatione ſerviendum eſt? ſicut enim in Poteſtatibus ſocietatis humanæ, major Poteſtas minori ad obediendum præponitur; ita Deus omnibus.*

Idem confirmat *S. Th.* 1. 2. q. 96 art. 4. *Alio modo* (inquit) *Leges poſſunt eſſe injuſtæ per contrarietatem ad bonum divinum, ſicut leges Tyrannorum inducentes ad idololatriam, vel quodcumque aliud, quod ſit contra legem Divinam, & tales leges nullo modo licet obſervare.*

R E G U L A XVIII.

Leges evidenter injuſtæ non obligant in foro conſcientiæ, niſi propter vitandum ſcandalum, vel publicæ pacis perturbationem.

Ita docet *S. Th.* loco mox indicato. *Injuſtæ ſunt leges* (inquit) *vel ex fine, ſicut cum aliquis Præſidens Leges imponit oneroſas ſubditis, non pertinentes ad utilitatem communem, ſed magis ad propriam cupiditatem, vel gloriam: vel etiam ex Auctore, ſicut cum aliquis legem fert ultra commiſſam ſibi poteſtatem, vel etiam ex forma, cum inæqualiter onera multitudini diſpenſantur, etiamſi ordinentur ad bonum commune. Et hujuſmodi magis ſunt violentiæ quam leges: quia ſicut Auguſt. dicit* Lib. 1. *De Libero Arbitrio*, cap. 5. Lex *eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit. Unde tales Leges non obligant in foro conſcientiæ, niſi forte propter vitandum ſcandalum, vel turbationem, propter quod etiam homo juri ſuo debet cedere, ſecundum illud* Matth. 5. *Qui angariaverit te mille paſſus, vade cum eo alia duo: & qui abſtulerit tibi tunicam, da, ei & pallium.*

Denique cum ſibi propoſuiſſet hanc objectionem: *Leges humanæ frequenter ingerunt calumniam, & injuriam hominibus, ſecundum illud Iſaiæ* 10. Væ qui condunt Leges iniquas, & ſcribentes injuſtitias ſcripſerunt, ut opprimerent in judicio pauperes, & vim facerent cauſſæ humilium populi mei: *Sed licitum eſt unicuique oppreſſionem, & violentiam evitare: ergo Leges humanæ non imponunt neceſſitatem homini quantum ad conſcientiam.*

Reſpondet, quod *Ratio illa procedit de Lege, quæ infert gravamen injuſtum ſubditis, ad quod etiam ordo Poteſtatis divinitus conceſſus non ſe extendit*. Unde *nec in talibus homo obligatur, ut obediat Legi, ſi ſine ſcandalo, vel majori detrimento reſiſtere poſſit.*

R E G U L A XIX.

Lex in præſumptione fundata conſcientiam non ligat, quando præſumptio eſt falſa.

De legum obligatione, & obſervantia.

Axioma eſt ab omnibus receptum. Itaque ſi Lex, vel Legislator aliquis, ſeu Judex, cui Legis obſervantiam promovere incumbit, eos omnes, qui in facie Eccleſiæ Matrimonium contraxerunt, illud conſummare jubeat, hac Lege non tenentur, nec illi parere debent, qui occulto impedimento dirimente conſtricti contraxerunt, quamvis pœna Excommunicationis ad conſummandum Matrimonium urgerentur, ut colligitur ex c. *Licet*, Extra, *De Reſtitutione ſpoliatorum*, & cap. *Inquiſitioni*. Extra, *De Sententia Excommunicationis*.

Item cum Legislator aliquid in ſingulis facti alicujus ſpeciebus contingere præſumit, ratione cujus Legem condit, Lex conſcientiam ejus non ligat, in quo falſa eſt illa præſumptio: unde nec ſententiæ judicis hac Lege fultæ parere tenetur. Sic Jure veteri cum ſtatutum eſſet, ut Sponſalia de futuro in Matrimonium legitimum tranſirent per carnalem copulam ſubſecutam, cap. *Veniens*, & c. *Is, qui fidem*. Extra. *De Sponſalibus*: Contingere tamen poterat, ut qui poſt hujuſmodi copulam Matrimonium cum altera contraxiſſet, ad priorem illam redire non teneretur, quacumque judicis compellente ſententia; Lex enim illa fundata erat in præſumptione, quod iſta copula ſemper fieret affectu maritali, ſive animo perficiendi Matrimonium: quamobrem ſi quis eo animo copulam non habuiſſet, immo aliena prorſus a Matrimonio cum tali perſona contrahendo voluntate, ſponſalia in Matrimonium per copulam ſubſecutam non tranſibant: neque compelli poterant quacumque ſententia ſponſus, & ſponſa de futuro, ut conjugaliter viverent, niſi mutuus in Matrimonium conſenſus accederet, qui nulla poteſtate humana ſuppleri poteſt.

Ob eandem rationem Lex, Præceptum, aut Sententia in præſumptione facti alicujus fundata, quod factum non eſt, non ligat conſcientiam; ſiquidem præſumptio cedere debet veritati.

Verumtamen ſi Legislator fraudes, abuſus, aut gravia incommoda in aliqua materia ut plurimum contingere præſumens, Legem ferat generalem ad ea impedienda, ſive avertenda: etiamſi præſumptio in quibuſdam caſibus ſingularibus falſa ſit, Lex in illis etiam obligat: quia ſubſiſtit ratio, in qua fundata Lex eſt. Unde Lex irritum declarans ſollemne Votum ante pubertatis annos emiſſum, vim habet etiam reſpectu illorum, in quibus maturum judicium pubertatis annos prævenit, quia in ea præſumptione fundata eſt, quod in minori ætate deſit ut plurimum judicii maturitas, ut obſervat *S. Th.* 2. 2. q. 88. art. 9. *Quantumcumque* (inquit) *ſit doli capax ante annos pubertatis, non poteſt obligari Voto ſollemni Religionis, propter Eccleſiæ Statutum, quod reſpicit id, quod in pluribus accidit.*

R E G U L A XX.

Legibus, quas de Fide, Sacramentis Cauſſiſque mere ſpiritualibus, & Eccleſiaſticis Princeps Laicus conderet, Clerici nullatenus obligarentur: quemadmodum nec Legibus, quas ferret Prælatus Eccleſiaſticus temporalem Principatum, ac ditionem non habens, de cauſſis Civilibus, & mere temporalibus, Laici parere tenerentur: aut ſi temporalem ditionem, ac Principatum habeat, Legibus ipſius res, & cauſſas civiles ſpectantibus ii ſoli obligantur, qui ditioni ipſius temporali ſubditi ſunt.

De Legum obligatione, & obſervantia.

Utraque enim Poteſtas, Eccleſiaſtica, & Laica, certis finibus a Deo concluſa eſt, extra quos excurrere, Leges ferre, Judiciaque exercere non poteſt. Chriſtus enim auctoritatem regendi Eccleſiam S. Petro, Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus, non ſæculi Principibus commiſit, *Matth.* 16. & 18. & *Joannis* 20. ac 21. & auctoritatem moderandi Rempublicam Regibus, & Principibus temporalibus, non Epiſcopis, quatenus Epiſcopi ſunt, tribuit. Hinc *Oſius* Cordubenſis Epiſcopus apud *S. Athanaſium* in Epiſt. ad Solitariam Vitam agentes, *Conſtantium* Imperatorem ſic alloquitur: *Tibi Deus Imperium commiſit; nobis quæ ſunt Eccleſiæ concredidit. Et quemadmodum, qui tuum Imperium malignis oculis carpit, contradicit ordinationi divinæ, ita & tu cave, ne quæ ſunt Eccleſiæ ad te trahens, magno criminis obnoxius fias. Date, ſcriptum eſt, quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ Dei Deo. Neque igitur fas eſt nobis Imperium tenere, neque tu thymiamatum, & ſacrorum poteſtatem habes, Imperator.*

Idem confirmatur ex can. *Cum ad verum*, diſt. 96. ſumpto ex Epiſt. 1. *Nicolai* 1. *ad Michaelem* Græcorum Imperatorem: „ Sed cum (*inquit*) ad verum ventum eſt eundem Regem, atque Sacerdotem, ultra ſibi nec Imperator jura Pontificatus arripuit, nec Pontifex nomen Imperatorium uſurpavit. Quoniam idem Mediator Dei, & hominum homo Chriſtus Jeſus, ſic actibus propriis, & dignitatibus diſtinctis Officia Poteſtatis utriuſque diſcrevit, ut & Chriſtiani Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, & Pontifices pro curſu temporalium tantummodo rerum Imperialibus Legibus uterentur; quatenus ſpiritalis actio carnalibus diſtaret incurſibus.

Et can. *Nos ſi incompetenter*, cauſſa 2. q. 7. *Leo* 4. ait: *Sicut Reges præſunt in cauſſis Sæculi, ita Sacerdotes in cauſſis Dei.*

R E G U L A XXI.

Legibus Civilibus parere tenentur Clerici, ſalva Eccleſiarum, & Perſonarum Eccleſiaſticarum Immunitate.

Nam & Clerici cives ſunt, & *Reddere* debent, *quæ ſunt Cæſaris Cæſari, & quæ ſunt Dei Deo*. Et Clericos etiam ſpectat illud Apoſtoli ad Titum 3. *Admone illos, Principibus, & Poteſtatibus ſubditos eſſe, dicto obedire*. Et illud 1. Petri, 1. *Subjecti eſtote Regi præcellenti, ſive Ducibus tanquam ab eo miſſis*. Hinc *S. Jo. Chryſ.* Hom. 23. in Epiſt. ad Romanos ait. *Omnis anima poteſtatibus ſupervenientibus ſubdita ſit, etiamſi Apoſtolus ſis, ſi Evangeliſta, ſi Propheta, ſive quiſquis tandem fueris. Neque enim pietatem ſubvertit iſta ſubjectio*. Et *Theodoretus* in c. 13. in Epiſtola ad Rom. ait: *Et Sacerdos, & Antiſtes, & Monaſticam vitam profeſſus, iis debent parere, quibus demandati ſunt Principatus*. Exceptionem additam Regulæ confirmant Sacri Canon. Conſtitutiones Principum, *S. Thom.* qui in c. 13. Epiſtolæ ad Romanos, Clericos a debito ſolvendi tributa *liberos eſſe* docet *ex Privilegio Principum, quod quidem æquitatem naturalem habet*: & Sacra Synodus Tridentina, *Eccleſiæ, & Perſonarum Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei ordinatione, & Canonicis Sanctionibus conſtitutam* eſſe ait, Seſſ. 25. *De Reform.* c. 20.

De legum obligatione, & obſervantia.

R E G U L A XXII.

Supremus Princeps, & Legislatores ſuis ipſi Legibus quibuſdam obligantur, quamvis a nemine coerceri poſſint ob earum neglectam obſervantiam.

Hanc Regulam tradit *S. Th.* 1. 2. q. 96. a. 5. ad tertium: „ Princeps (*inquit*) dicitur eſſe ſolutus a Lege, quantum ad vim coactivam Legis: nullus enim proprie cogitur a ſeipſo: Lex autem non habet vim coactivam, niſi ex Principis poteſtate. Sic igitur Princeps dicitur ſolutus eſſe a Lege, quia nullus in ipſum poteſt judicium condemnationis ferre, ſi contra Leges agat. Sed quantum ad vim directivam Legis, Princeps ſubditur Legi propria voluntate, ſecundum quod dicitur, “ Extr. *De Conſtitut.* c. „ Cum omnes, (*ex Innoc. III.*) Quod quiſque juris in alterum ſtatuit, ipſe eodem jure uti debet: & Sapientis dicit auctoritas (*Catonis ſcilicet*) Patere Legem, quam tu ipſe tuleris. Improperantur etiam ii a Domino, *qui dicunt, & non faciunt, & qui aliis onera gravia imponunt, & ipſi nec digito volunt ea movere*, „ Unde quantum ad Dei judicium, Princeps non eſt ſolutus a Lege, quantum ad vim directivam ejus; ſed debet voluntarius, non coactus Legem implere.

Matth. 13.

Hanc Regulam hauſerat *S. Th.* ex *S. Iſidoro*, Lib. 3. *De ſummo bono*, c. 52. cujus verba referuntur Canone *Juſtum eſt*, diſt. 10. „ Juſtum eſt Principem Legibus obtemperare ſuis. Tunc enim Jura ſua ab omnibus cuſtodienda exiſtimet, quando & ipſe illis reverentiam præbet. Principes Legibus tenentur ſuis, nec in ſe convenit fruſtrare Jura, quæ in ſubjectis conſtituunt. Juſta eſt enim vocis eorum auctoritas, ſi quod populis prohibent, ſibi licere non patiantur.

Eandem Regulam confirmant *Theodoſius*, & *Valentinianus* Imperatores Lib. 1. Cod. Tit. 14. „ Digna vox eſt, (inquiunt) Majeſtate Regnantis, legibus alligatum ſe Principem profiteri: adeo de auctoritate juris noſtra pendet auctoritas, & revera majus Imperio eſt, ſubjicere Legibus Principatum.

Ea tamen Regula de illis legibus intelligenda eſt, quarum materia Principes, ac ſubditos æque ſpectat. Unde Epiſcopus Feſtos dies, & Jejunia a ſe inſtituta obſervare tenetur: necnon Statuta Clericalis Ordinis Reformationem ſpectantia, in iis, quæ ipſum æque ac ſecundi Ordinis Sacerdotes ſpectant: exempli gratia, ſi ludum aleæ ſub pœna Excommunicationis latæ Sententiæ prohibuerit, ab eo ludo abſtinere debet, alioqui lethaliter peccabit: in Excommunicationis tamen Sententiam non incurret.

R E G U L A XXIII.

Princeps, & Legislator quilibet eſt ſupra legem, in quantum mutare illam poteſt, ſi expediat; & in ea pro loco, & tempore diſpenſare.

De legum obligatione, & obſervantia.

Verba ſunt *S. Thom.* loco mox indicato.

R E G U L A XXIV.

Peregrini, & Advenæ Leges, & Conſuetudines locorum ad quæ veniunt, vel in quibus diverſantur, ex officio conſcientiæ ſequi debent.

De Conſuetudinibus legitimis, vimque legis habentibus loquor. Ratio Regulæ eſt, quod quiſque ratione territorii legem, ac forum ſortiatur, & quod ordo, paxque poſtulet, ut non aliis legibus peregrini, & advenæ utantur, quam indigenæ. Hinc *S. Aug.* Lib. 3. *Confeſſionum*, c. 8. *Quæ* inquit, *contra mores hominum ſunt flagitia, pro morum diverſitate vitanda ſunt, ut pactum inter ſe civitatis, aut gentis conſuetudine, vel lege firmatum, nulla civis, aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars eſt ſuo univerſo non congruens.*

Et Epiſt. 36. alias 86. Ad *Caſulanum*, refert. Cum pia Mater Monica Mediolani agens ſollicita eſſet, an ſibi ſecundum civitatis ſuæ morem Sabbato jejunandum, an ſecundum Mediolanenſis Eccleſiæ morem prandendum eſſet; *S. Ambroſ.* ea de re interrogatum reſpondiſſe: *Quando hic ſum, non jejuno Sabbato: quando Romæ ſum jejuno Sabbato; & ad quamcumque Eccleſiam veneritis*, inquit, *ejus morem ſervate, ſi pati ſcandalum non vultis, aut facere*. Hoc reſponſum *S. Aug.* retulit ad Matrem, nec dubitavit eſſe obediendum: hoc & ipſe ſequutus eſt. *Sed quoniam contingit, ut una Eccleſia, vel unius regionis Eccleſiæ, alios habeant Sabbato prandentes, alios jejunantes; Mos eorum* (inquit S. Auguſtin.) *mihi ſequendus videtur, quibus eorum Populorum Congregatio regenda commiſſa eſt.*

Et Epiſt. 54. alias 118. *ad Januarium*, c. 2. *Nec diſciplina ulla eſt*, inquit, *in his melior gravi, prudentique Chriſtiano quam ut eo modo agat, quo agere viderit Eccleſiam, ad quam forte devenerit. Quod enim neque contra fidem, neque contra bonos mores eſſe convincitur, indifferenter eſt habendum, & propter eorum, inter quos vivitur, ſocietatem ſervandum eſt.*

Hinc ſequitur, Viatores Sacro intereſſe, a carnibus abſtinere, jejunare debere ex officio conſcientiæ, ſi in loco ad quem veniunt, & in quo ſolida die morantur, dies feſtus ſit, ſtatumque jejunium, ſive abſtinentia præcepta: Si vero ſolum tranſeant, eodem ſcilicet die, quo appulerunt, recedentes, non obligantur, modo tamen omnis ſcandali vitetur occaſio: immo qui in uno oppido nocte dormivit, in quo ſequens dies Feſtus eſt, non tenetur Miſſam audire priuſquam recedat.

R E G U L A XXV.

Lex humana ſive Eccleſiaſtica, ſive Civilis obligare non videtur, niſi ſollemni more promulgata fuerit in Provinciis.

De Legum promulgatione & obſervantia. Legum promulgatio.

Leges enim ita promulgari neceſſe eſt, ut in eorum, quibus latæ ſunt, notitiam facile perveniant, aut pervenire poſſint, ut conſtat ex L. *Leges ſacratiſſimæ*, C. Tit. *De Legibus*, & colligitur ex *Innoc. III.* cap. *Ad hæc*, Extra, *De Poſtulatione Prælatorum*, cujus hæc ſunt verba: *Cum Conſtitutio ſollemniter editur, aut publice promulgatur, non eſt neceſſarium, notitiam ipſius per ſpeciale Mandatum ſingulorum auribus inculcare, ſed id ſolum ſufficit, ut ad ejus obſervantiam quis teneatur, ſi eam ſollemniter editam, aut publice noverit promulgatam*. In omnium porro notitiam facile pervenire non poſſunt, niſi ſint in Provinciis promulgatæ. Hinc *Siricius* Pontifex Maximus Epiſtola ad *Himerium*, Tarraconenſem Epiſcopum, Decretalem ſuam in quinque Hiſpaniæ, viciniſque Provinciis promulgari ſanxit. „ Et hæc, *inquit*, ad tua Conſulta reſcripſimus, ut in omnium Coepiſcoporum noſtrorum perferri facias notionem, & non ſolum eorum, qui in tua ſunt Diœceſi conſtituti, ſed etiam ad univerſos Carthaginenſes, Bæticos, Luſitanos, atque Callaicos, vel eos, qui vicinis collimitant hinc inde Provinciis, hæc quæ a Nobis ſunt ſalubri ordinatione diſpoſita, ſub litterarum tuarum proſecutione mittantur. Et quanquam Statuta Sedis Apoſtolicæ, vel Canonum venerabilia definita, nulli Sacerdotum Domini ignorare ſit liberum, utilius tamen, & pro antiquitate Sacerdotii tui Dilectioni tuæ admodum poterit eſſe glorioſum, ſi ea, quæ ad te ſpeciali nomine generaliter ſcripta ſunt, per unanimitatis tuæ ſollicitudinem, in univerſorum Fratrum noſtrorum notitia perferantur: quatenus & quæ a nobis non inconſulte, ſed provide, & ſub nimia cautela, & deliberatione ſunt ſalubriter conſtituta, intemerata permaneant, & omnibus in poſterum excuſationibus aditus qui apud nos nulli patere poterit, obſtruatur. “ Eandem formam priſci Pontifices ſunt ſequuti, eumque morem Novella Juſtiniani pro Civilibus Legibus præſcriptum, in Legibus etiam Eccleſiaſticis promulgandis obſervari æquiſſimum duxerunt, ut ſcilicet non obligarent, donec in Provinciis

publica auctoritate fuiſſent promulgatæ; ipſaque Concilia Generalia Decreta ſua non aliter obligare, ſatis aperte ſignificaverunt. Concil. enim Lateranenſe 4. ſub *Innoc. III.* can. 22. relato cap. *Cum infirmitas*, Extra. *De Pœnitentiis, & Remiſſionibus*, cùm præcepiſſet Medicis, ut ægros inducerent ad conſulendum ſuarum animarum ſaluti, ante quam morbo remedia parentur, addit tamen, pœnæ Canoni adjectæ non eſſe locum, donec promulgatio Canonis iſtius facta fuerit ab Epiſcopo Diœceſano. *Si quis autem Medicorum hujus noſtræ Conſtitutionis, poſtquam per Prælatos locorum fuit publicata, tranſgreſſor extiterit, tandiu ab Eccleſiæ ingreſſu arceatur, donec pro tranſgreſſione hujuſmodi ſatisfecerit competenter.*

De legum promulgatione, & obſervantia.

Et Sacra Synodus Tridentina Decretum primum de Reformatione Matrimonii tunc demum vim obligandi Fideles habiturum declarat, cum in eorum Parochia fuerit publicatum. *Ne vero*, inquit, *hæc tam ſalubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut cum primum potuerint, curent hoc Decretum populo publicari, ac explicari in ſingulis ſuarum Diœceſum Parochialibus Eccleſiis idque in primo anno quam ſæpiſſime fiat, deinde vero quoties expedire viderint. Decernit inſuper, ut hujuſmodi Decretum in unaquaque Parochia ſuum robur poſt triginta dies habere incipiat, a die prima publicationis in eadem Parochia facta numerandos.* Unde Theologi omnes & Juriſconſulti ſummo conſenſu docent, Decretum illud non obligare, adeoque & Matrimonia contra formam in eo præſcriptam contracta (modo tamen mutuus inter legitimas perſonas interceſſerit conſenſus) rata eſſe in iis Provinciis, & Regnis, in quibus promulgatum non fuit. Hinc *Panormitanus*, in cap. *Cognoſcentes*, De Conſtitutionibus, *Cajetanus* in prima ſecundæ, qu. 90. art. 4. *Dominicus Soto*, Lib. 1. *De Juſtitia, & Jure*, qu. 3. art. 4. *Nicolaus Serarius* Diſp. *De Legibus*, Nu. 56. & ſeqq. & alii Theologi plerique, ſolam in Romana Curia promulgationem non ſufficere cenſent, ut Lex Eccleſiaſtica Fideles obliget univerſos, ſed neceſſariam eſſe per ſingulas Provincias publicationem contendunt.

REGULA XXVI.

Quamvis Leges humanæ tam Civiles quam Eccleſiaſticæ ab acceptione ſubditorum obligandi vim non habeant, non obligant tamen, cum moribus utentium receptæ non ſunt, & firmatæ.

Tenentur ſubditi leges juſtas a ſuperiore poteſtate latas recipere.

In ſubditorum arbitrio poſitum non eſſe, ut Legem recipiant, vel reſpuant, certiſſimum eſt, cum Legiſlator ſive Eccleſiaſticus, ſive Politicus, jus habeat obedientiam a ſubditis exigendi, & rebelles, atque contumaces impoſitis pœnis coercendi. Tenentur itaque ſubditi Leges juſtas a ſuperiori poteſtate latas recipere; graviterque peccant ii, qui prohibent ex contumacia ne recipiantur, vel ipſas reſpuunt. Unde inter alias peſtilentis Moralis Propoſitiones hæc merito ab *Alexand. VII.* Pontif. Maximo damnata eſt: *Populus non peccat, etiamſi abſque ulla cauſſa non recipiat Legem a Principe promulgatam*: quam Propoſit. Generalis Cleri Gallicani Conventus etiam damnavit anno 1700. *ut ſeditioſam, doctrinæque Apoſtolicæ, ac dictis Dominicis aperte contrariam*. Sic lethaliter peccant Clerici, Monachi, Moniales, qui Epiſcopis capita Reformationis in Concil. Trid. ſancita inducere volentibus, & tam Sacræ Diſciplinæ imperantibus executionem, incertorum, aut abrogatorum privilegiorum, vel conſuetudinum obtentu reſiſtunt, illiſque lites movent. Si tamen lex non fuerit utentium moribus recepta, & firmata, non obligat; tum quia ipſam illis non convenire, perſpicuum & exploratum eſt, apud quos vim obtinere non potuit; tum quia Princeps, qui Legem a ſubditis non eſſe receptam intelligit, ad ipſius tamen receptionem, ac executionem illos impoſitis pœnis non cogit, ſed diſſimulat, ſicque tacito conſenſu legi derogat. *Silveſter Prieras*, in Summa, verbo *Lex* §. 6. & *Navarrus*, Manualis cap. 23. num. 41. *Covarruvias* lib. 2. *Variarum Reſolutionum*, c. 16. Cardinalis *Cuſanus*, 2. lib. *De Concordantia Catholica* cap. 9. 10. & 11. & alii. Atque hoc ſenſu intelligenda ſunt verba *Juliani* Juriſconſulti L. *De quibus*, §. 1. ff. De Legibus. *Ipſæ leges nulla alia ex cauſſa nos tenent, quam quod judicio populi receptæ ſunt.* Quibus verbis addit *Gratianus* diſtinct. 4. *Leges inſtituuntur, cum promulgantur, firmantur, cum moribus utentium approbantur.* Quo videtur inclinare *S. Auguſt.* Lib. *De Vera Religione*, cap. 31. ſcribens, de legibus temporalibus homines judicare, cum eas inſtituunt, ſed cum fuerint inſtitutæ, & firmatæ, non licere Judici de ipſis judicare, ſed ſecundum ipſas. Hinc plurimos Canones, & Pontificias etiam Conſtitutiones nonnullas de Diſciplina Eccleſiaſtica latas, in illis Eccleſiis Clerum, Populumve Chriſtianum non obligare compertum eſt, in quibus uſu receptæ non fuerunt: quia Summi Pontifices, pro benignitate ſua, & auctoritatis Eccleſiaſticæ moderatione, quæ Clero, ac populo fideli non dominatur, *ſicut Reges Gentium dominantur eorum*, ſed eorum ſaluti conſulit, Leges quaſdam a ſe latas non recipi paſſi ſunt a quibuſdam Eccleſiis quibus commodæ, ac utiles non eſſent, & quarum Diſciplinæ, ac Moribus repugnarent. Auctoritate ſcilicet ligandi, & ſolvendi a Chriſto ſibi tradita, & a ſubditorum arbitrio, vel conſenſu nequaquam pendente, uti voluerunt *in ædificationem, non in deſtructionem*, ut loquitur Apoſtolus; caveruntque ne laqueos Animabus injicerent.

Matth. 20.

Luc. 22.

De legum obligatione, & obſervantia.

REGULA XXVII.

Leges Civiles, quæ ſacris Canonibus ſunt adverſæ, nullius ſunt roboris in iis cauſſis, quæ Eccleſiarum Ordinationes, Eccleſiaſticamque Diſciplinam ſpectant.

Hanc Regulam tradit Synodus Chalcedonenſis Oecumenica, Actione 4. in cauſſa, quæ inter *Photium* Epiſcopum Tyri, & *Euſtachium* Epiſcopum Beryti de Epiſcopatuum diviſione vertebatur: *Contra Regulas*, inquit, *Pragmaticum nihil valebit, Univerſa Pragmatica ceſſabunt, Regulæ teneant.*

Eandem confirmat *Nicolaus I.* cujus verba referuntur Canone, *Lege*, Diſtinct. 10. *Lege*, inquit, *Imperatorum non in omnibus Eccleſiaſticis controverſiis utendum eſt, præſertim cum inveniantur Evangelicæ, ac Canonicæ Sanctioni aliquoties obviare ... Lex Imperatorum non eſt ſupra Legem Dei, ſed ſubtus. Imperiali Judicio non poſſunt Eccleſiaſtica Jura diſſolvi.* Id *Innocentii I.* & *S. Gregorii* teſtimoniis roborat, ſubditque; *Non quod Imperatorum Leges (quibus ſæpe Eccleſia utitur contra Hæreticos, ſæpe contra Tyrannos, atque contra pravos quoſque defenditur) dicamus penitus renuendas: ſed quod eas Evangelicis, Apoſtolicis, atque Canonicis Decretis, quibus poſtponendæ ſunt, nullum poſſe inferre præjudicium aſſeramus.*

Et Canone *Certum eſt*, Felix III. Imperatorem ſic compellat: *Certum eſt, hoc rebus veſtris eſſe ſalutare, ut cum de cauſſis Dei agitur, juxta ipſius conſtitutionem, Regiam voluntatem Sacerdotibus Chriſti ſtudeatis ſubdere, non præferre, & Sacroſancta per eorum Præſules potius diſcere, quam docere: Eccleſiaſticam formam ſequi, non huic humanitus ſequenda Jura præfigere; neque ejus Sanctionibus velle dominari, ne dum menſura cæleſtis diſpoſitionis exceditur, eatur in contumeliam Diſponentis.*

Denique Canone *Conſtitutiones*, eadem Diſtinctione dicitur: *Conſtitutiones contra Canones, & Decreta Præſulum Romanorum, vel bonos mores, nullius ſunt momenti.*

REGULA XXVIII.

Verba Legis ſervanda ſunt accuratiſſime, niſi adſit periculum publici boni: quod ſi ſubitum ſit, nec tantam patiens moram, ut Superioris ſententia rogari poſſit, in his anguſtiis præter verba Legis agere licet.

De legum obligatione, & obſervantia.

Hæc Regula ſtatuitur a *S. Thoma* 2. 2. qu. 96. art. 6. *Omnis lex*, inquit, *ordinatur ad communem hominum ſalutem, & in tantum obtinet vim, & rationem legis ... Contingit autem multoties, quod aliquid obſervari, communi ſaluti eſt utile, ut in pluribus, quod tamen aliquibus caſibus eſt maxime nocivum. Quia igitur Legiſlator non poteſt omnes, ſingulares caſus intueri, proponit, legem ſecundum ea, quæ in pluribus accidunt, ferens intentionem ſuam ad communem utiliatem. Unde ſi emergat caſus, in quo obſervatio talis legis ſit damnoſa communi ſaluti, non eſt obſervanda: ſicut ſi in civitate obſeſſa ſtatuatur lex, quod portæ civitatis maneant clauſæ, hoc eſt utile communi ſaluti, ut in pluribus; ſi tamen hoſtes inſequantur aliquos cives, per quos civitas conſervatur, damnoſiſſimum eſſet civitati, niſi eis portæ aperirentur: & ideo in tali caſu eſſent portæ aperiendæ contra verba legis, ut ſervaretur utilitas communis, quam Legiſlator intendit. Sed tamen, ſi obſervatio legis ſecundum verba non habeat ſubitum periculum, cui oporteat ſtatim occurri, non pertinet ad quemlibet ut interpretetur, quid ſit utile, & quid inutile civitati, ſed hoc ſolum pertinet ad principes, qui propter hujuſmodi caſus habent auctoritatem in legibus diſpenſandi. Si vero ſit ſubitum periculum, non patiens tantam moram, ut ad Superiorem recurri poſſit, ipſa neceſſitas diſpenſationem habet annexam, quia neceſſitas non ſubditur Legi.*

Legiſlatoris igitur intentionem ſequi præſtat, quam verba legis, ubi ex evidentia nocumenti manifeſtum eſt Legiſlatorem aliud intendiſſe, vel hunc non ſpectaſſe caſum, in quo legis obſervantia publico bono eſſet nocitura. Unde *Theodoſius*, & *Valentinianus* Imperatores Lib. 1. *Cod.* tit. *De Legibus, & Conſtitutionibus Principum*, ajunt: *Non dubium eſt in legem committere eum, qui verba legis amplexus, contra legis nititur voluntatem.*

REGULA XXIX.

Lex humana mutari non debet niſi propter evidentem neceſſitatem aut maximam Eccleſiæ, vel Reipublicæ, ſive Societatis, cujus in bonum lata eſt, utilitatem.

Legis mutatio.

Ita docet *S. Th.* prima ſecundæ, q. 97. art. 2. *Lex humana*, inquit, *in tantum recte mutatur, in quantum per ejus mutationem communi utilitati providetur. Habet autem ipſa legis mutatio, quantum in ſe eſt, detrimentum quoddam communis ſalutis; quia ad obſervantiam legum plurimum valet conſuetudo, in tantum quod ea, quæ contra communem conſuetudinem fiunt, etiamſi ſint leviora, de ſe graviora videntur ... Et ideo numquam debet mutari lex humana, niſi ex alia parte tantum recompenſetur communi ſaluti, quantum ex iſta parte derogatur. Quod quidem contingit, vel ex hoc, quod aliqua maxima, & evidentiſſima utilitas ex novo Statuto provenit: vel ex eo, quod eſt maxima neceſſitas: vel ex eo quod lex conſueta, aut manifeſtam iniquitatem continet, aut ejus obſervatio eſt plurimum nociva.* Unde Lib. 1. Dig. Tit. *De Conſtitutionibus Principum*, Lege 2. dicitur: *In rebus novis conſtituendis evidens debet eſſe utilitas, ut recedatur ab eo Jure, quod diu æquum viſum eſt.*

REGULA XXX.

Nulla conſuetudo vim Legis obtinere poteſt contra Legem Divinam, & Naturalem.

De conſuetudine.

Quod enim hujuſmodi legibus præceptum, aut vetitum eſt, *Neceſſarium* eſt *inviolabile*, aut *incommutabile*, ut loquitur *S. Bern.* Lib. *De Præcepto, & Diſpenſatione*, cap. 3. *Neceſſarium inviolabile illud intelligo, quod non ab homine traditum, ſed divinitus promulgatum, niſi a Deo, qui tradidit, mutari omnino non patitur: ut exempli cauſſa, Non occides, Non mœchaberis, Non furtum facies, & reliqua illius tabulæ Legis ſcita, quæ etſi nullam prorſus humanam diſpenſationem admittant, nec cuiquam hominum ex his aliquid aliquo modo ſolvere, aut licuit, aut licebit: Dominus tamen horum, quod voluit, quando voluit ſolvit, ſive cum ab Hebræis Ægyptios ſpoliari, ſive quando Prophetam cum muliere fornicaria miſceri præcepit. Quorum utique alterum, quid niſi grave furti facinus, alterum quid niſi flagitii turpitudo reputaretur, ſi non excuſaſſet utrumque factum auctoritas imperantis?*

Neceſſarium incommutabile eſt, *Quod divina ita conſtat ratione firmatum, ut nulla ex cauſſa poſſit, vel ab ipſo Deo aliquatenus immutari. Sub hoc genere eſt omnis illa Sermonis Dominici in Monte habiti ſpiritualis traditio, & quicquid de dilectione, humilitate, manſuetudine, ceteriſque virtutibus, tam in Novo quam in Veteri Teſtamento ſpiritualiter obſervandum contradicitur. Hæc quippe talia ſunt, quæ nec liceat, nec expediat aliquando non haberi. Eo ſiquidem immobiliter, quo & naturaliter bona, nunquam niſi innocenter, nunquam niſi ſalubriter, aut imperantur, aut obſervantur. Omni tempore, omni perſona morte contempta, cuſtodita ſalutem operantur.*

Idem confirmatur ex Canone *Fruſtra*. Diſt. 9. ſumpto ex *S. Aug.* Lib. 4. *De Baptiſmo contra Donatiſtas* cap. 5. *Hoc plane verum eſt*, inquit, *Quia ratio, & veritas conſuetudini præponenda eſt. Sed cum conſuetudini veritas ſuffragatur, nihil oportet firmius retineri.*

Veritas, & juſtitia conſuetudini præponendæ.

Et Canone *Si conſuetudinem*, ex Gregorio VII. *Si conſuetudinem fortaſſis opponas, advertendum eſt, quod Dominus dicit*: Ego ſum veritas, & vita. *Non dixit: Ego ſum conſuetudo, ſed veritas. Et certe (ut Beati Cypriani ſententia utamur) Qualibet conſuetudo, quantumvis vetuſta, quantumvis vulgata, veritati omnino eſt poſtponenda: & uſus, qui veritati eſt contrarius, abolendus.* Et c. *Cum tanto*, Ext. *De conſuetudine*, Gregorius IX. ait: *Cum tanto graviora ſint peccata, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam, nemo ſanæ mentis intelligit, naturali Juri, cujus tranſgreſſio periculum ſalutis inducit, quacumque conſuetudine, quæ dicenda eſt verius in hac parte corruptela, poſſe aliquatenus derogari.*

Idem confirmat *S. Iſidorus* Lib. 2. *Synonimorum*, c. 16. *Multa ſunt*, inquit, *conſuetudine vitiata, multa pravo uſu præſumpta, multa contra pudicos mores illicite uſurpata: cedat conſuetudo auctoritati: pravum uſum lex, & ratio vincat: adime conſuetudinem, ſerva legem.*

Et *S. Thom.* 1. 2. q. 97. art. 3. ad primum; *Lex naturalis*, inquit, *& divina procedit a voluntate divina. Unde non poteſt mutari per conſuetudinem procedentem a voluntate hominis, ſed ſolum per voluntatem divinam mutari poſſet. Et inde eſt, quod nulla conſuetudo vim legis obtinere poteſt contra legem divinam vel naturalem.*

De conſuetudine.

Nulla itaque conſuetudo efficere poteſt, ut ſpiritualia licite vendantur; neque ut aliquid ratione mutui exigatur ultra ſortem, quamvis illam conſuetudinem auctoritate ſua probarent Magiſtratus; neque ut Prælatus, vel Capitula uſurpent fructus Beneficii, & de cujus poſſeſſione litigatur, in fraudem ejus, qui verum jus habet: neque ut Maritus pro ſuo arbitrio diſtrahat dotem uxoris, aut uxor gravetur debitis mariti prodigi, ut declarat *Honorius III.* Cap. *Ex parte de Conſuetudine*; neque ut Domini temporales mulctare, vel punire poſſint interceptores ferarum ſibi damna inferentium, quæ illi reſarcire nolunt; neque ut bona Chriſtianorum naufragorum ſibi quiſque vindicet; neque ut Præceptores, vel Satellites uſurpent, quæcumque reperiunt apud furem; neque ut omnino immunes ſint Fideles a Decimis Eccleſiæ Miniſtris ſolvendis.

REGULA XXXI.

Conſuetudo non abrogat Legem poſitivam, ſeu Eccleſiaſticam, ſeu Civilem, niſi ſit legitima, & præſcripta.

Hæc Regula nititur cap. *Cum tanto*, Ext. *De Conſuetudine*, cujus hæc ſunt verba; *Licet etiam longævæ conſuetudinis non ſit vilis auctoritas, non tamen eſt uſque adeo valitura, ut vel juri poſitivo debeat præjudicium generare, niſi fuerit rationabilis, & legitime ſit præſcripta.*

Quæ conſuetudines illegitimæ cenſendæ ſint.

Rationabilis cenſetur conſuetudo, quam Jus non improbat: irrationabilis, quæ reprobatur a Jure, ut ea, qua ſecundi Ordinis Sacerdotes ea Sacramenta miniſtrabant Conſtantinopoli, tempore *Innocentii III.* quæ ab Apoſtolorum tempore ſolis Epiſcopis fuerunt reſervata, ut Sacramentum Confirmationis. (Cap. *Quanto*, Extra *de Conſuetudine*.) Talis etiam cenſenda eſt conſuetudo, qua non ſervantur ea, quæ Jus ſtatuit obſervari circa Cenſuras Eccleſiaſticas, ut ea qua Canonici S. Petri de Curia Interdictum Generale ab Epiſcopo Cenomanenſi poſitum non ſervabant; ſed pulſatis campanis, alta voce (interdictis, tamen, & Excommunicatis excluſis) Divina Officia celebrabant. Hanc conſuetudinem improbat *Innocentius III.* c. *Cum inter vos*, ſub eodem Titulo, quia *Ex tali conſuetudine diſrumperetur nervus Eccleſiaſticæ Diſciplinæ*. Sic irrationabilem conſuetudinem judicavit idem Pontifex, qua fretus quidam Abbas Sedi Apoſtolicæ immediate ſubditus, ad aliam Abbatiam eidem Sedi pariter ſubditam migraverat abſque licentia Summi Pontificis, quia hæc conſuetudo erat ſacris inimica Canonibus, adeoque *Non tam conſuetudo, quam corruptela cenſenda*. Cap. *Cum venerabilis*, Extra *De Conſuetudine*. Idemque de omni conſuetudine cenſendum, quæ contra obedientiam militat. Idem cenſendum de conſuetudine, quæ pugnat contra Eccleſiæ, vel electionis libertatem, ut decernit *Cæleſtinus III.* c. *Cum terra*, Ext. *de Electione*, & *Greg. IX.* c. *Sacroſancta*, ſub eodem Titulo. Nec ſolum rationabilis debet eſſe conſuetudo, ut legem abroget, ſed legitime præſcripta, quadraginta ſcilicet annorum ſpatio, ut colligitur, ex cap. *Auditis*, Ext. *De Præſcriptionibus*. Sic Lex Eccleſiaſtica de obſervantia Rogationum quoad jejunium, & ceſſationem ab operibus, & Lex de tota Hebdomada Paſchæ ſollemniter celebranda, Canone *Pronuntiandum*, & Can. *Rogationes*, diſt. *De Conſecratione*, abrogatæ ſunt contraria conſuetudine rationabili, & præſcripta, ob Fidelium minorem devotionem, ob incommoda, quæ pauperibus victum ex labore ægre quærentibus afferebat Jejuniorum, & Feſtorum multiplicatio. Idem dicendum de Jejunio Quadrageſimæ a Clericis incipiendo prima die poſt Dominicam Quinquageſimæ, ſecundum Canonem *Statuimus*, diſt. 4. quem abrogavit conſuetudo.

De Conſuetudine.

Quæ conſuetudines poſſint tolerari.

Magnam autem adhibendam eſſe diligentiam in judicando, ut non facile aperiatur via tranſgreſſioni Ordinationum Eccleſiaſticarum, *Nec etiam condemnetur quis leviter de mortali in hujuſmodi conſuetudinum obſervatione*, quæ Canonicis quibuſdam Statutis obviant, ſed tamen tolerantur, monet *S. Anton.* P. 1. tit. 16. c. 1. Sic conſuetudo plurimorum locorum: ut Sabbato, & in Vigiliis magnarum Sollemnitatum quidam artifices nocte tota laborent, ut Sartores, & Barbitonſores, *videtur poſſe tolerari*, ſed *nullo modo tolerari debet nec excuſat a peccato conſuetudo, immo corruptela*, ut ad Sacram Communionem accedere non incipiant homines niſi in virili ætate, aut puellæ cum ſunt nuptæ; cum Præceptum Eccleſiaſticum annuæ Confeſſionis, & Paſchalis Communionis Chriſtianos omnes obliget, poſtquam ad uſum rationis pervenerunt. Excuſare ſimiliter non poteſt Viduas quælibet conſuetudo, ut poſt mortem virorum diebus Dominicis, ac Feſtis Miſſæ non interſint. Nec etiam Clericos excuſat conſuetudo Patriæ, ut contra decorem, & modeſtiam Status Clericalis multa faciant, quæ Canonibus prohibentur. Extra. *De Vita, & honeſtate Clericorum*. Nec etiam Viros Religioſos excuſat conſuetudo a Regularibus obſervantiis, quas Regula, vel conſtitutiones illis præſcribunt, ut conſtat, ex c. *Cum ob Monaſterium*, Extra. *De ſtatu Monachorum*: nec Moniales a Clauſura ſervanda excuſat conſuetudo Tridentinæ Synodi Decreto, Pontificiiſque Conſtitutionibus contraria. *Nec dici poſſunt hujuſmodi conſuetudines, ſed corruptelæ, & abuſiones, & ideo extirpandæ ſunt a Prælatis, cum fieri poteſt ſine majori ſcandalo, quam eſſet bonum inde ſequens.* Hanc exceptionem *S. Anton.* prudenter addit, confirmatque ex Canone *Denique*, diſt. 4. quod eſt Reſponſum *S. Gregorii* datum *Auguſtino* Anglorum Epiſcopo, ubi loquens de Laicorum conſuetudine, qui die Carnis ſe carnium cibis uſque ad mediam noctem ingurgitant, non aliter ſe ſacri Temporis Quadrageſimalis obſervationem ſuſcipere putantes, *Quod non rationi, ſed voluptati, imo cuidam mentis cæcitati adſcribendum eſt*; ait: *Unde nec a tali conſuetudine averti poſſunt; & ideo cum venia ſuo ingenio relinquendi ſunt, ne forte pejores exiſtant, ſi a tali conſuetudine prohibeantur. Ut enim ait Salomon*: Qui *multum emungit, elicit ſanguinem*. Quod tamen de venia pœnæ dumtaxat, non de venia culpæ intelligendum. *Tolerat ergo S. Gregorius crimen tale propter periculum ſchiſmatis, vel ſcandali: unde non eſt dicendum, quod ignoſcatur eis, licet non puniat eos propter multitudinem, vel ſcandalum.* De hujuſmodi pravis conſuetudinibus *Nicolaus I.* ad *Hincmarum* Archiepiſcopum Remenſem ſcribebat, ut habetur Canone *Mala*, diſt. 8. *Mala conſuetudo, quæ non minus, quam pernicioſa corruptela vitanda eſt, niſi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab improbis aſſumitur: & incipiunt prævaricationes, & variæ præſumptiones celerrime non compreſſæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.*

Prov. 30.

S. Anton.